BR
65
G56W5

LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class BR65
Book .G56W5

SMITHSONIAN DEPOSIT

DE

GREGORIO MAGNO

EIUSQUE

PLACITIS ANTHROPOLOGICIS

COMMENTATIO PRIOR.

SCRIPSIT

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS

UNIVERSITATIS LITERARUM ROSTOCHIENSIS

H. T. RECTOR.

ROSTOCHII

TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXXXVIII.

BR65
G56W5

Post concilium *Arausicanum secundum* et *Valentinum tertium*, concilia illa Gallicana anno 529. habita, quorum decreta pontificis Romani auctoritate confirmata erant, controversiae, quae dicuntur, Semipelagianae per tria saecula obmutuerunt, donec *Godescalcus* saeculo nono eas quasi resuscitaret. Per hoc longum temporis spatium Augustino maximus honor quidem habitus est, omnesque ecclesiae catholicae doctores ejus memoriam summa reverentia prosecuti sunt, sed non omnes hos doctores cum illo patrum Latinorum facile principe in quaestionibus anthropologicis de statu hominis primitivo, de peccato originali, de libero arbitrio, gratia, praedestinatione et redemtionis ambitu consensisse, eosque vel inscios in Semipelagianam haeresin saepe incidisse, accuratius historiae dogmatum studium docet.

Ut temporibus subsistamus, quae concilia illa Gallicana statim excipiebant, *Fulgentius Ferrandus* quidem et *Facundus Hermianensis* Augustini vestigia presserunt, sed jam *Junilius* et *Gregorius Turonensis* ab eo discessisse videntur. Ipse *Justinus*, qui Justiniano in imperio successit, in haeresin Pelagianam, Gregorio Turonensi (hist. Francorum IV. c. 33.) teste, incidisse fertur.

Fulgentius Ferrandus, diaconus Carthaginiensis doctissimus, qui ad instaurandam ecclesiae Africanae regum Vandalorum saevitiâ labefactatae disciplinam, canonum conciliorum quorundam quarti et quinti saeculi summam, sub titulo *canonum breviationis* redegit, et vitam Fulgentii episcopi Ruspensis, magistri sui, circa annum 547. conscripsisse perhibetur, hunc quoque in dootrina Augustini anthropologica amplectenda et tuenda ducem sibi elegit. Haec enim sentiendi ratio e scriptis suis, quae ad aetatem nostram pervenerunt, et a Chifletio Jesuita collecta et Divione 1649. 4. edita, tum autem in Gallandii bibliotheca T. XI. novis curis typis descripta sunt, manifesto patet.

E scriptis *Fulgentii Ferrandi* ad rem nostram maxime faciunt vivendi praecepta christiana, quae dedit Regino comiti, quem Africae septentrionali praefectum fuisse probabile est. Apud Gennadium p. 564 seqq. — Haec praecepta, quibus respondetur ad quaestionem Fulgentio

Ruspensi paullo ante mortem propositam, „qualis esse debeat dux religiosus in actibus militaribus?“ produnt virum pietatis christianae haud infucatae sensu imbutum, eundemque ingenuum et libere loquentem. Septem praeceptorum, quae tradit, hîc in primis memorabile est primum, quo comitem de Pelagianismo eum dehortatum esse facile intelligitur. „Gratiae Dei adjutorium tibi necessarium *per actus singulos* crede, dicens cum Apostolo (1 Cor. 15, 10): Gratia Dei sum id quod sum.“ Summam doctrinam inculcat, „*neminem sine gratia Dei recte intelligere, neminem juste vivere.*“ „Dominus enim,“ pergit, „dat intellectum; Dominus quem voluerit, religiosum facit. *Nihil boni ex nobis habemus.*“ — Nec praeceptum sextum, quo illud quod Salomoni vulgo tribuitur (Eccl. 7, 17), etiam atque etiam commendat, „*noli esse multum justus,*“ pede sicco transeundum est.

Facundus, episcopus ecclesiae Hermianensis in provincia Byzazena, quae erat una ex septem, quibus dioecesis Africana constabat, e trium capitulorum historia satis cognitus est. Floruit circa medium sextum saeculum, et decessit circa annum 570. Opera ejus, quae Sirmondus in *operibus variis* Vol. II. Venetiis 1728., tum Gallandius in T. XI. bibliothecae Patrum edidit, Augustini studiosissimum cultorem, et a Semipelagianorum partibus maxime dissidentem produnt. In libro contra Mocianum sive Mucianum scholasticum, qui assertionem suam, impios in ecclesia esse ferendos ab eaque non coërcendos, multis Augustini locis confirmare conatus erat, de Fausto illo Regiensi Semipelagiano asseverat: „Faustus Gallus in quaestione liberi arbitrii, male intellectis et incongrue adhibitis ipsius beati Augustini sententiis, fallebat et in assensionem sui erroris inducebat incautos; qui tamen a sanctae memoriae Fulgentio Ruspensi detectus atque convictus est.“ Apud Gallandium p. 811.

Junilius vero, ex vulgari sententia episcopus Africanus, qui post medium saeculum sextum florebat, doctrinam Augustinianam anthropologicam non omnino amplexus esse videtur, quamvis gratiae divinae vim, de qua in his disputationibus in primis agitur, non subtilius definierit. Libri ejus duo *de partibus divinae legis,* qui etiam ad canonis

biblici historiam illustrandam cujusdam momenti sunt, ad aetatem nostram pervenerunt. Typis descripti sunt in bibliotheca Patrum Parisina T. I. p. 1 seqq. et in Gallandii bibliotheca PP. T. XII. Inscripti sunt Primasio, episcopo Africano, antequam Junilius, si quidem episcopus unquam fuerit, ad episcopalem dignitatem eveheretur. In epistola enim his libris praefixa Primasium *patrem* appellat, et Primasii coëpiscoporum mentionem facit, se ipsum his non adnumerans. — In libro secundo, qui sacrae scripturae dogmata continet, de hominis voluntate, cap. 12. haec affert: „Est vis animi *inviolata* sive *spontanea*, secundum quam *diversae atque contrariae cogitationes efficiuntur, et opera. Naturalis est in nobis boni malique communis discretio; spontaneus autem motus in his, quae jam discreta et sequenda sunt.* Ipsum lex quidem erudit; gratia autem praeparat, adjuvat, corroborat, coronat.“ Haec cum Augustini doctrina, qua homo in statu hodierno modo liber sit ad peccatum, non vero ad justitiam, non concordant, et Pelagianam liberi arbitrii definitionem redolent. Quae autem de gratia praeparante, adjuvante, corroborante, coronante in universum adjiciuntur a Pelagianis etiam affirmari possunt. — In capite 15. redemtionis Christi *particularismus*, qui dicitur, negatur affirmando: „Deum Christi apparitione prospexisse *omnium nostrum saluti remissionique*“, et „*vocatio omnium gentium* per dispensationem incarnationis ipsius Dei et salvatoris nostri“ sumitur. Ibidem quidem „*peculiaris* quidam divinitatis favor“ qui ad singulos pertinuisset „et *quasi per singulos vitae actus palam dispensata gubernatio,*“ item „praecipuum gratiae auxilium“ commemoratur; sed his vocibus absolutum decretum Augustinianum minime continetur. Id etiam in iis quae sequuntur non docetur, quamvis singulorum sacrae scripturae dogmatum pertractatio illius commemorandi opportunitatem amplissimam praebuisset. — Accedit quod alia dicta Augustinianae sentiendi rationi repugnant. In capite enim 26. ad quaestionem, „si omnia, quae in praesenti saeculo gesta sunt, ad futurum respiciebant; quid opus erat, ut a Deo praesens saeculum fieret?“ ita respondetur: „Quia decuit, ut rationales creaturae prius discerent; ut excitarentur in dubiis, ac tunc

aeternis postea fruerentur; et *merito data viderentur probatis*, et gratiora fierent reminiscentibus transacta certamina; et plus glorificarent donatorem, *qui pios in hoc saeculo juvat;* et ut vincerent, et ut victoribus aeterna praemia concederent.“ In cap. 28. Junilius haec affert: „Causa malorum in ipsis est qui mali sunt; quia *dum libero arbitrio atque bene concesso inordinate utuntur rationales creaturae, et malitiae, et poenae causa sibimet existunt.*“ — De cetero memoratu dignum esse videtur, quod in cap. 30. de eo, quod inter fidem et rationem intercedat, proponitur. Ad quaestionem, „si divinae scripturae probationibus sufficiunt, quid necessaria est religioni fides?“ respondetnr: „Fides nostra *super ratione* quidem est; non tamen temerarie et *irrationabiliter* adsumitur. Ea enim quae ratio *edocet*, fides *intelligit;* et ubi ratio *defecerit*, fides *praecurrit.* Non enim utcunque audita credimus, sed ea quae ratio non improbat. Verum quod consequi ad plenum non potest, *fideli* prudentia confitemur.“

Gregorius Turonensis, qui anno 596. diem obiit supremum, editâ historiâ ecclesiastica Francorum magnum nomen adeptus est. In hoc quidem opere praestantissimo, quod in Monumentis Germaniae historicis novis curis prodibit, nihil fere inest, quod in disputationem nostram cadat. Libri autem VIII. *Miraculorum*, quae item ad aetatem nostram pervenerunt, et in T. VIII. bibliothecae patrum Parisina typis descripti sunt, nonnulla continent, quae ad rem nostram faciunt. Miraculorum liber *primus* agit de miraculis Jesu Christi, apostolorum et martyrum; *secundus* de passione et virtutibus *S. Juliani* martyris; *quatuor*, qui illos excipiunt, libri, de virtutibus et miraculis *S. Martini; septimus* liber de vitis sanctorum patrum seu quorundam *religiosorum Galliae; octavus* de gloria confessorum.

In Miraculorum lib. II. cap. 1. gratia sive pietas divina describitur, quae autem ab ea, quam Augustinus defendebat, mirum quantum discedit.

„Magnum in nobis,“ inquit Gregorius episcopus Turonensis, „quodammodo igniculum ad justitiae suae adipiscendam semitam *pietas divina* succendit, quum dicit, *oculi Domini super justos, et aures ejus ad*

preces eorum, ostendens quod qui justitiam ex toto corde dilexerit quum deprecatus fuerit, audiatur a Domino. Utinam quisque nostrûm quum haec tentare coeperit, statim spretis mundi scandalis, neglectis concupiscentiis vanis, derelictisque semitis pravis, justitiae viam expeditus et sine impedimento saecularium actionum conaretur inrepere. *Per hanc* enim *viam* Abel justus suscipitur, Enoch beatus adsumitur, Noë reservatur, Abraham eligitur, Isaac benedicitur, Jacob dilatatur, Joseph custoditur, Moyses sanctificatur, David praedestinatur, Salomon ditatur; tres pueri inter incendia rorulenta vaticinantur. Et qualiter? inquis. Scilicet dum infirma curant, mortua suscitant, praesentia contemnunt, futura desiderant, tortores despiciunt, poenas non sentiunt, ad coelestia regna contendunt. Quod procul dubio virtute propria non obtinerent, nisi *per viam justitiae rectissime incedentes* a Domino audirentur."

Secundum hanc disputationem adjutorium divinum, itemque praedestinatio ab hominis probitate pendet, neque ipsius adjutorii ratio accuratius definitur.

Accedit quod Gregorius actionibus *externis* meriti aliquid tribuebat. In Miraculorum lib. III. cap. 40. miraculorum Martini Turonensis enarrationem sibi retributionem mercedis allaturam esse confidebat, quae „refrigerio pro delictis" constaret. Pretium, quod actionibus externis ad poenitentiam pertinentibus statuebat, elucet e prologo libri tertii. „Si ad Martini beatum tumulum humilietur animus, et oratio sublimetur, si *defluant lachrimae*, et *compunctio vere succedat*, si *ab imo corde mittantur suspiria*, et *pectora facinorosa tundantur*, invenit ploratus laetitiam, culpa veniam, dolor pectoris pervenit ad medelam." In libro septimo sive vita sanctorum patrum Galliae cap. 1. Gregorius praedestinationis et gratiae adjutricis mentionem facit, sed non sensu Augustiniano. „Praedestinatorum est ista" (super pauca fidelem esse) „cum Dei ope perficere, qui ab ipsis incunabulorum vagitibus Dominum scire meruerunt" (i. e. feliciter assecuti sunt), „cognitoque eo nunquam ab ejus praeceptionibus recesserunt. Neque post baptismi sacramentum niveam illam pollentemque regenerationis stolam impudicis actibus pollue-

runt; qui merito sequuntur agnum quocunque ierit, quos ipsius agni candor egregius liliis decoris nullo tentationis aestu marcentibus coronavit. His denique sertis dextera inclytae dominationis extenta inchoantes provocat, vincentes adjuvat, victores adornat, quos nominis sui titulo praesignatos, de terrenis gemitibus elevans in coelorum evehit gaudia gloriosos; de quorum niveo electionis numero et illos esse non ambigo, qui Lorensis eremi" (hanc eremum inter Burgundiam et Allemanniam sitam fuisse, ex iis quae proxime sequuntur apparet) „opaca lustrantes non modo Dei templum efficere meruerunt, verum etiam in multis mentibus spiritus sancti gratiae tabernacula paraverunt, id est Lupicinus Romanusque germanns ejus." — Genus humanum per diabolum corruisse, ibidem quidem statuitur, sed id etiam a Semipelagianis affirmabatur. „Aemulus sanctitati metuit, ne unde ille perfidia vilis corruit genus humanum fide nobilitatum ascendat." Hîc etiam locutionem deprehendimus: „Dominus *compungi* fecit corda eorum." Sed quo sensu haec compunctio intelligenda sit, non subtilius definitur. Quae autem Gregorius in capite secundo affirmat, Semipelagianam sentiendi rationem produnt. „Quanta omnipotens Deus suo dicatis nomine indulgeat, quantamque eisdem *pro fideli servitio* benignitatis opem compenset: magna quidem se pollicetur redditurum in coelo; sed quae accepturi sunt plerumque hoc declarat in saeculo." Nec a Semipelagianorum mente et ratione recedunt, quae in capite quarto de vitiorum exstirpatione docentur, cui adjutorium divinum necessarium sit. „Quod nullus sine Dei ope valebit efficere, nisi dominici adjutorii protegatur vel parma vel galea. Et quod egerit non sui, sed ad divini nominis gloriam deputet: juxta illud Apostoli, Qui gloriatur, in Domino glorietur." In eundem sensum dicta sunt, quae in capite quinto legimus: „Nullus in his (operibus) gressum figere potest, nisi fuerit, sicut saepe testati sumus, Dei adjutorio *provocatus.* — Per hos scalae hujus ascensus tam difficiles, tamque excelsos, tam arduos, quum sint diversi, ad unum tamen Dominum per hujus adjutorii opem conscenditur. Idcirco semper ille poscendus, ille quaerendus, ille invocandus erit, ut quod *de bono mens concipit, adjutorio suo ipse perficiat.*"

1858

Initia ergo bonae voluntatis *homini,* boni operis perfectio *Deo,* Semipelagianorum more, adscribuntur. In capite nono vitae aeternae magistrorum praesentia *multiplex donum* vocatur, „quia cunctis, *qui expetere voluerint,* affluenter indulgetur, juxta illud: Petite et accipietis. Unde vigilanter incessanterque debet investigare mens humana sanctorum vitam, ut hoc provocata studio, accensa exemplo, ad ea semper extendatur, quae Deo novit esse acceptabilia; ut ab ipso vel mereatur erui, vel possit audiri. Haec autem ab ejus majestate quaerebant sancti percipere, poscentes jugiter ut ipse insinuaret corde, ipse perficeret in opere, ipse loqueretur in ore. Quo *facilius* purgata mens, cogitatione, eloquio, actione cogitaret sancta, loqueretur justa, operaretur honesta. Unde factum est ut, dum in his, quae divinitate sunt placita, famulabantur, obtinerent sibi remitti peccati debitum, eruerentur a coeni sordentis contagio, coeleste *pro meritis* invitarentur ad regnum. — Unde et nos in praeconio devoti Deo famuli Venanti abbatis effari nitentes, divinitati potius dona sua referimus, quia dextram ejus manifestum est effecisse, quod sanctos constitit operatos esse; deprecantes ut aperiat os muti ad publicanda opera antistitis sui: quia sicut esse nos recognoscimus scientia tenues, ita novimus conscientia peccatores.“ Illud „*facilius* purgata mens“ non praetermittendum est, quum Pelagianam illam enunciationem, adjutorio divino *facilius* bonum perfici posse, in mentem revocet. In capite undecimo redemtor dicitur „mortem pro hominis peccato mortui reparatione adiisse, victorque resurrexisse, qui nos gravium facinorum spiculis sauciatos, ac latronum insidiantium vulneribus affectos, infuso meri oleique liquore ad stabulum medicinae coelestis, id est *ecclesiae sanctae dogma,* produxerit. Qui nos exemplis sanctorum vivere, *incessabili praeceptionis suae munere cohortatur;* nobisque non modo viros, sed etiam ipsum inferiorem sexum, non segniter, sed viriliter agonizantem praebet exemplum, qui non solum viris legitime decertantibus, verum etiam foeminis in his proeliis favorabiliter desudantibus siderea regna participat.“ Medicina igitur coelestis secundum Gregorium ecclesiae sanctae dogmate continetur, adjutorium vero gratiae ad mera

praecepta refertur. Caput 13. haec habet: „Ecclesia — de his laetatur qui conversi a saeculo opus inchoatum valuerunt perducere, divina opitulante misericordia, ad *effectum*." Divinae itaque misericordiae opitulatio hîc non ad initium, sed ad *effectum* boni operis spectat. Ibidem praedestinationis quidem, sed non absolutae, mentio fit. Quae denique in libro octavo (de gloria Confessorum) cap. 109. de gratia disputantur, minime evincunt, Gregorium eam sensu Augustiniano cepisse.

Haec sufficiant ad probandum, non omnes scriptores ecclesiasticos, certe Latinos, qui post illa concilia Gallicana, quibus Semipelagianorum doctrina damnata erat, proxime scripserunt, ab hac haeresi omnino immunes fuisse. Graeci autem scriptores Pelagianorum et Semipelagianorum haeresin sicco pede omnino transierunt, neque apud eos mentio eorum aliqua occurrit. *Leontius*, primo causarum patronus Byzantinus, deinde, ut videtur, monachus Palaestinensis, circa finem saeculi sexti libellum *de sectis* conscripsit, qui ad aetatem nostram pervenit, et in Gallandii bibliotheca PP. T. XII. p. 625 seqq. cum Leunclavii versione typis descriptus est. — In bibliotheca PP. Parisina T. IV. p. 91 seqq. modo versio Latina Leunclavii legitur. — In illo libello multa quidem de Nestorianis, Cajanitis, Agnoëtis aliisque sectis pertractantur, sed de Pelagianis altum silentium est. Id autem haud dubie argumento est, ecclesiam Orientalem etiam illo tempore anthropologicis quaestionibus non multum tribuisse.

His ita disputatis accedamus ad eam rem, quam munere academico gravissimo ad scribendum impulsi paullo accuratius, quam adhuc factum est, pertractandam nobis sumsimus.

Inter scriptores ecclesiasticos, qui exeunte saeculo sexto vixerunt, primum locum tenet *Gregorius primus*, pontifex Romanus, qui tantam famam assecutus est, ut cognomen Magni ei tribueretur, et quatuor primariis Latinorum doctoribus adnumeraretur. Gregorius enim non solum de sacrorum christianorum institutis praeclare meruit, et propagandae religionis christianae studio inter pontifices maxime eminuit, sed etiam multa scripsit, quorum magna pars aetatem nostram tulit. In placita

pontificis de quaestionibus illis gravissimis, quae inter controversias Pelagianas et Semipelagianas agitatae sunt, inquirere, et ex ejus scriptis ea excutere, quae ad doctrinam ejus, quaestionum illarum ratione habita, adumbrandam faciunt, res esse videtur, quae fructu et utilitate sua non caritura, atque adeo scriptione academica non indigna sit. Historia enim dogmatum tum demum rite conscribi ac condi poterit, quum singulae res ad eam pertinentes in clariore luce positae fuerint.

Sed ut oratio ordine et ratione quadam procedat, omnem de hac re disputationem ita absolvam, ut *primum* de vita, *deinde* de operibus, *denique* de doctrina Gregorii anthropologica exponam.

CAPUT PRIMUM.

Vitae Gregorii brevis adumbratio.

§. 1.

Fontes, e quibus vita viri hauriri potest, sunt Gregorii ipsius scripta, maxime epistolae, de quibus infra agetur. Accedunt quae apud Gregorium Turonensem, aequalem et familiarem ejus, identidem disputantur. Vita ejus, ut anonymos quosdam praetermittamus, de quibus conferendus est J. A. Fabricius in bibl. mediae et infimae Latinitatis sub voce *Gregorius I.*, jam a *Paulo Diacono* octavo saeculo exeunte descripta est. Alia vita exstat a *Joanne Diacono Romano*, monasterii Casinensis alumno, saeculo nono exeunte, hortatu Joannis VIII. confecta et ab eodem postea comprobata. Joannes Diaconus omnia vetera monumenta inspexerat, et summorum pontificum catalogos, acta, diaria evolverat. Utraque vita typis descripta est in editione Benedictinorum Operum Gregorii M. Tomo IV. Ab his ipsis Benedictinis prolixa vita Gregorii ex ejusdem scriptis concinnata est in eodem tomo. Conferendi sunt aetatis nostrae scriptores ecclesiastici: Moshemius, Schroeckhius, Gieselerus, Neander, ceteri in libris notissimis. De doctrina Gregorii

peculiares libros ediderunt: *Theodorus Petrejus,* Campensis, Carthusianus, cujus exstat *Confessio Gregoriana sive de Gregorii M. doctrina.* Coloniae 1597. 1605. 8.; *Petrus Molinaeus,* pater, Theologus Sedanensis, qui scripsit *Vie et religion de deux bons papes, Leon I. et Gregoire I.,* quod opusculum Sedani 1686. 4. prodiit; *Jo. Petrus Stute,* Susatensis, cujus legitur *Gregorius magnus papa Lutheranus.* Lipsiae 1715. 4. Videsis J. A. Fabricium l. c. et Oelrichsium in commentariis de scriptoribus ecclesiae Latinae priorum VI. saeculorum. Lips. 1791. p. 417.

Hîc, ne scriptionis justos limites excedamus, potiora momenta vitae pontificis recensenda sunt, ut imago ipsius quaedam legentium oculis proponatur.

§. 2.

Gregorius, cognomine Magnus, parentibus nobilissimis, patre Gordiano, qui erat senatorii ordinis et regionarius i. e. unus ex iis, qui certis Urbis regionibus praeficiebantur, matre Silviâ, cujus nomen in sanctorum album relatum est, circiter annum Christi 540. Romae natus est. Puerum a parentibus, quorum pietas a scriptoribus ecclesiasticis multis laudibus effertur, praeceptis christianis probe imbutum esse, conjecturâ assequi licet, quamvis hujus rei testimonia diserta non exstent. Secundum Gregorium Turonensem in hist. Francorum lib. X. cap. 1. „Literis grammaticis, dialecticis ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in Urbe ipsa putaretur esse secundus.“ Sed huic testimonio non multum tribuendum esse, vel Gregorii scripta omni colore Latino destituta declarant. Si literarum grammaticarum studium ei puero arrisisset, eoque ipse probe excultus fuisset, non postea in oratione incomta sibi ita placuisset, ut in ea vel gloriam quaereret. Ars enim, secundum illud sermone tritum proverbium, non habet osorem, nisi ignorantem. Ipse nempe de se profitetur in praefatione ad libros Moralium: „Ipsam loquendi artem, quam magisteria disciplinae exterioris insinuant, servare *despexi.* Nam sicut hujus quoque epistolae tenor enunciat, non mutacismi [1]) (metacismi) collisionem fugio, non barbarismi confusionem de-

1) Non *metacismi,* sed *mutacismi* legendum esse, in promtu est. Graeci enim ap-

vito, hiatus motusque etiam, et praepositionum casus servare *contemno;* quia indignum vehementer existimo, ut verba caelestis oraculi restringam sub regulis Donati.“ cet. Qua ratione ductus Gregorius M. nefas esse judicabat, episcopum docere grammaticam. „In uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt.“ Lib. XI. epist. 54. Graecae linguae se esse ignarum, Gregorius ingenue profitetur. Lib. VII. ep. 32. Lib. XI. ep. 74. Juris autem, in primis canonici, ad cujus studium munerum et vitae ratione maxime adducebatur, eum peritissimum fuisse, neminem, nisi prorsus in lectione scriptorum ejus peregrinum, fugit. Egregia hujus rei documenta Gregorii epistolae praebent.

§. 3.

Juris peritia haud vulgaris Gregorio viam ad praecipuas Urbis dignitates muniebat. Ipse praetoris urbani honorifico munere aliquamdiu functus est. Sed monasticae vitae magno amore ductus vitae actuosae et negotiis saecularibus renuntiavit, et, postquam sex monasteria in Sicilia et septimum in ipsis aedibus paternis de re sua familiari condiderat, ipse se in hoc monasterium circiter annum 575. recepit, ibique vitam monasticam secundum regulam Benedictinorum conformatam amplexus per quoddam tempus commoratus est. Indoles autem Gregorii, qua ad vitam actuosam ferebatur, intra arctos coenobii limites non contineri poterat. Nam Anglorum gentis ad sacra christiana convertendae studio exardescens pontificem precibus adiit, ut illi genti aliquos verbi divini praecones mitteret, se ipsum ad hoc negotium suscipiendum paratum professus. A pontifice copia data quosdam sodales assumsit, seque cum iis itineri commisit. Romani autem Gregorii profectionem aegre ferentes pontificem precibus adduxerunt, ut celerrime eum revocaret. Gregorius ergo, illis plaudentibus, in monasterium redire coactus est.

§. 4.

Sed non diu ibi commorari Gregorio licuit. Mox enim diaconus septimus a pontifice Pelagio II. creatus, et paullo post (circiter a. 579) ab

pellarunt *μυτακισμόν*, quum litera *μ* in eadem enuntiatione nimium repetitur.

eo Constantinopolin *apocrisiarius* sive *responsalis* [2]) ad imperatorem missus est. Pelagius enim Gregorium ad res gerendas aptissimum esse probe perspexerat. Illo munere fungens in schismate extinguendo ob tria capitula excitato, haeresi Eutychii, patriarchae Constantinopolitani, de impalpabili sanctorum post resurrectionem corpore, opprimenda, aliisque negotiis strenuam operam et studium collocabat. Eo etiam tempore, hortante Leandro, episcopo Hispalensi meritissimo, Visigothorum regis apud imperatorem legato, libros Moralium conscripsit.

§. 5.

Romam reversus in monasterium suum se denuo recepit, eique circa annum 585. abbas praefectus est. Pelagio II. peste peremto Gregorius successit anno 590., atque per pontificatum intra paucorum annorum

---

2) *Apocrisiarii* (*ἀποκρισιάριοι*) sive *responsales* Romani erant negotiorum curatores (des chargés d'affaires, päpstliche Bevollmächtigte) a pontificibus e clero electi et ad aulam, sive, ut loquendi modo Gregorio familiari utar, *ad vestigia dominorum* missi. „Dilectissimum filium meum Sabinianum diaconum" scripsit Joanni episcopo Constantinopolitano Lib. III. epist. 53. „*pro responsis ecclesiasticis faciendis ad dominorum vestigia* transmisi." Conf. lib. VII. epist. 31. In palatio imperiali hi responsales habitabant. Responsalis sui absentiam excusans, Phocae imperatori, qui Mauricio interfecto a. 601. successerat, scripsit Gregorius: „Quod *permanere in palatio, juxta antiquam consuetudinem,* apostolicae sedis diaconum vestra Serenitas non invenit, non hoc meae negligentiae, sed gravissimae necessitatis fuit; quia dum ministri omnes hujus nostrae ecclesiae tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam *in palatio permansurus* accederet. Sed postquam vestram Clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen imperii pervenisse cognoverunt, ipsi quoque suadente laetitia *ad vestra vestigia venire* festinant, qui prius illuc accedere valde timuerunt." Lib. XIII. ep. 38. — Cum his responsalibus i. e. legatis Romanis, qui quae Romae agebantur ad imperatorem referebant, non sunt confundendi nuntii seu cursores, epistolas ferentes et referentes, qui etiam *responsales* nominabantur. Eorum quoque in epistolis Gregorii saepe mentio fit e. g. Lib. I. epist. 44. Lib. II. epist. 47. 52. Lib. V. epist. 5. Lib. XIV. epist. 9.

spatium tantis in catholicam ecclesiam, illo tempore multis procellis agitatam, meritis excelluit [3]), ut Magni cognomen ei tribueretur. Langobardos, vel stolidae idololatriae sectatores, vel, Authari eorum rege praeeunte, Arianam haeresin profitentes, ad fidem catholicam perduxit; Visigothos item, qui in Hispania et Gallia Narbonensi Arianam doctrinam sequebantur, orthodoxae ecclesiae conciliavit; Anglos ad sacra christiana convertit et rei christianae, condito apud eos Cantuariensi episcopatu, firmum fundamentum substruxit; Donatistas in Africa res novas molientes coërcuit; Agnoëtas sive Themistianos, qui non ita pridem, Themistio

3) Quanta sollicitudine munere pastorali Gregorius functus sit, ipse declarat in hom. XI. §. 6. in Ezech. lib. I., ubi otium vitae monasticae cum urgentibus ac circumstrepentibus officiis et negotiis variis, quae muneris episcopalis ratio postulat, comparat, et simul modestiae suae egregium documentum praebet. „Et quidem in monasterio positus," inquit, „valebam et ab otiosis linguam restringere, et in intentione orationis pene continue mentem tenere. At *postquam cordis humerum sarcinae pastorali supposui,* colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur. Cogor namque modo ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere; saepe singulorum vitas actusque pensare. Modo quaedam civium negotia sustinere, modo de irruentibus barbarorum gladiis gemere, et commisso gregi insidiantes lupos timere. Modo rerum curam sumere, ne desint subsidia eis ipsis, quibus disciplinae regula tenetur; modo raptores quosdam aequanimiter perpeti, modo eis sub studio servatae caritatis obviare. Quum itaque ad tot et tanta cogitanda scissa ac dilaniata mens ducitur, quando ad semetipsam redeat, ut totam se in praedicatione colligat, et a proferendi verbi ministerio non recedat? Quia autem necessitate loci saepe viris saecularibus jungor, nonnunquam mihi linguae disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censurae meae rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior, eosque ad hoc quod appeto, numquam traho. Unde fit, ut eorum saepe et otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter jam ea loqui incipio, quae audire coeperam invitus; et ubi taedebat cadere, libet jacere. Quis ergo ego vel qualis speculator sum, qui non in monte operis sto, sed adhuc in valle infirmitatis jaceo? Potens vero est humani generis Creator et Redemtor, indigno mihi et vitae altitudinem, et linguae efficaciam donare, *pro cujus amore in ejus eloquio nec mihi parco.*" Conf. lib. IX. epist. 121.

diacono Alexandrino praeeunte, Alexandriae originem duxerant, aliosque in Oriente haereticos strenue impugnavit.

§. 6.

Quum Gregorius muneris pastoralis gravitatem probe cognovisset, neque prius neque antiquius quicquam haberet, quam ut officiis sibi demandatis rite fungeretur, ipsique curae cordique esset, ut etiam alii, qui se muneri pastorali dicarent, quasi speculum haberent, in quod intueri, et speciem, ex qua vitam conformare possent, regulam pastoralem paullo post initum pontificale munus conscripsit. Hic liber, in quo boni pastoris imago proponitur, magno cum plausu quum in Occidentali, tum in Orientali ecclesia exceptus est, et per plura saecula magnam vim habuit ad clericorum mores formandos. Imo concilium Turonense tertium a. 813. in canone tertio haec praecepit: „*Non licet episcopo — — S. Gregorii Pastorale ignorare,* quod iis veluti speculum esse debet, in quo se ipsi nunquam non spectent.“ — De sacris publicis jam inde a primis pontificatus annis bene meruit, ritusque sacros ad certas regulas revocavit, novisque auxit Gregorius. *Septiformem litaniam* instituit, „quae,“ auctore Paulo Diacono de Gestis Langobardorum V. 11. „ideo dicta est, quia omnis urbis populus a B. Gregorio in septem partes deprecaturus Dominum divisus est. In primo choro fuit omnis clerus: in secundo omnes abbates cum monachis suis: in tertio omnes abbatissae cum congregationibus suis: in quarto omnes infantes: in quinto omnes viri laïci: in sexto omnes viduae: et in septimo omnes mulieres conjugatae.“ Alii scriptores hanc litaniam alio ordine recensent. [4]) —

4) De diverso ordine, quo litania septiformis apud scriptores ecclesiasticos recensetur, et hujus dissidii tollendi ratione, conferendi sunt Benedictini in vita Gregorii lib. I. cap. 7. §. 6., qui haec habent. „S. Gregorius publicas supplicationes seu litanias indixit, praecepitque ut convenientes ad septem designatas in totidem Urbis regionibus basilicas, omnes clerici, monachi, sacrae virgines, infantes, laïci, viduae, conjugatae, inde cum singularum regionum presbyteris, ad sanctae Dei genetricis basilicam ex conducto cum precibus et lacrymis proce-

Cantum ecclesiasticum', qui adhuc clamor inconditus fuerat, ad musices regulas revocavit, cantorum scholam condidit, ipseque in cantus institutione magistrum se praebuit. Eodem Joanne Diacono auctore in vita Gregorii II. 6. suo adhuc tempore, i. e. exeunte nono saeculo, „lectus ejus, in quo recubans modulatus, et flagellum ipsius, quo pueris minatus erat, cum authentico antiphonario veneratione congrua reservabatur." Quid? quod cantus Gregorianus hodieque viget, et hymni aliquot, quos Gregorius composuit, adhuc in usu sunt. [5])

In toto vitae habitu summam severitatem prae se ferebat, in omni victu cultuque modestiae, temperantiae omniumque virtutum exemplum proponebat, Simoniam acerrime notabat, et morum probitatem a clero exigebat. Cum clericis et monachis quibusdam, quos sibi socios et com-

derent. Insuper congregatis clericorum catervis, praecepit psallere per triduum. *Hora igitur tertia* (nostro more nona) *veniebant omnes chori psallentium ad ecclesiam, clamantes per plateas, Kyrie eleison.* Haec Gregorius Turonensis episcopus, ex sui diaconi qui tunc Romae erat haud dubia relatione memoriae prodidit, cui subscripsit Paulus Diaconus. Joannes Diaconus vero et alii non parum discrepant ab illis scriptoribus sive in recensendo personarum ordine, sive in assignandis basilicis. Nam Joannes Diaconus assignat pro litania clericorum ecclesiam S. Joannis, consentitque charta de litaniis, quae nunc legitur in appendice epistolarum; Gregorius Turonensis vero, basilicam sanctorum Cosmae et Damiani. *Hoc tamen dissidium componi potest si dicamus non semel indictas fuisse supplicationes illas; et in his quidem servatum ordinem a Gregorio Turonensi relatum, in aliis alterum a Joanne assignatum;* quod ex ritualibus libris potest confirmari, si emin. Annalium Ecclesiasticorum parenti fides sit. *Habent,* inquit Baronius, *rituales libri, ultimis litaniis esse processum ad basilicam Apostolorum principis, atque ab Gregorio sanctam imaginem Deiparae magna veneratione delatam.*" cet.

5) De cantu ecclesiastico Gregoriano est conferendus: Archäologisch-liturgisches Lehrbuch des Gregorianischen Kirchengesanges mit vorzüglicher Rücksicht auf die Römischen, Münsterschen, und Erzstift Kölnischen Kirchengesangsweisen von *Joseph Antony,* Professor, und Chordirector an der Cathedral-Kirche zu Münster. Münster 1829.

militones in literis excolendis et piis exercitiis praestandis adjunxerat, vitam communem, more Augustini, degebat, absentum autem vitam in convictu rodi cum eodem Augustino vetabat. Lib. XI. epist. 52. Peregrinos et pauperes maxima liberalitate excipiebat. Praedicandi et docendi officio, quod inter praecipua episcopi officia merito censebat, nunquam deerat, id quod homiliarum, quae adhuc exstant, coram populo habitarum, magna copia probat. Praedicationis autem efficaciam a certa oratoris persuasione eorum, quae proponit, pendere, probe perspexerat. Pectus enim disertum facit. „Mens concupiscentiis exterioribus occupata, inquit, igni divini amoris non calet: et idcirco *ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quae frigido corde proferuntur. Neque enim res, quae in se ipsa non arserit, aliud accendit.* Unde fit plerumque, ut hypocritarum dicta et audientes non erudiant, et eosdem ipsos qui se proferunt, elatos laudibus deteriores reddant.“ Mor. VIII. 72. „Lucerna quae in semetipsa non ardet,“ alio loco inquit, „eam rem cui supponitur, non accendit. Hinc enim de Joanne Veritas“ (i. e. Christus) „dicit: (Joann. 5, 35) Ille erat lucerna ardens et lucens. Ardens videlicet per caeleste desiderium, lucens per verbum.“ In Ezech. lib. I. hom. XI. §. 7.

§. 7.

In dissidentes animum aequum in universum probabat, nec *vi directa* quemquam ad christianam fidem amplexandam adducendum esse multis locis inculcat Gregorius. „Eos qui a religione christiana discordant,“ scripsit Petro Terracinensi episcopo, qui in Judaeos acerbius se gesserat, „mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei necesse est congregare: ne quos dulcedo praedicationis et praeventus futuri Judicis terror ad credendum invitare poterat, minis et terroribus repellantur.“ Lib. I. epist. 35. „Plurimi judaïcae religionis in hac Provincia commanentes,“ scripsit Virgilio Arelatensi, et Theodoro episcopo Massiliae Galliarum, „ac subinde in Massiliae partes pro diversis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam, multos consistentium in

illis partibus Judaeorum, *vi* magis ad fontem baptismatis quam praedicatione perductos. Intentionem quidem hujuscemodi et laude dignam censeo, et de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed hanc eamdem intentionem, nisi competens scripturae sacrae comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non perveniat, aut juxta aliquid, animarum quas eripi volumus, quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur. — Adhibendus est illis sermo, qui et errorum in ipsis spinas urere debeat, et praedicando quod in his tenebrescit illuminat; ut pro his admonitione frequenti mercedem Fraternitas vestra capiat, et eos quantum Deus donaverit, ad novae regenerationem vitae perducat.“ [6]) Lib. ejd. ep. 47. „Qui sincera intentione extraneos a christiana religione ad fidem cupirent rectam adducere“, scripsit Gregorio Paschasio episcopo Neapolitano, lib. XIII. epist. 12., „blandimentis, non asperitatibus debent studere: ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat provocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quam Dei causas probantur attendere. Judaei siquidem Neapolim habitantes, questi nobis sunt, asserentes quod quidem eos a quibusdam feriarum suarum solemnibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festivitatum suarum solemnia colere, sicut eis nunc usque et parentibus eorum longis retro temporibus licuit observare vel colere. — — Agendum est ut ratione potius et mansuetudine provocati, sequi nos velint, non fugere: ut eis ex eorum codicibus ostendentes, quae dicimus, ad sinum matris ecclesiae Deo possimus adjuvante convertere. Itaque Fraternitas tua eos monitis

6) A Chilperico, Neustriae rege, multos Judaeos ad baptismum adactos esse, legimus apud Gregorium Turonensem ad annum Christi 582. in historia Francorum lib. VI. cap. 17. Idem in Chilberti regno factum esse, colligitur ex laudata epistola, qua morem illum Gregorius M. improbat. Confer. Benedictini ad hunc locum.

quidem, prout potuerit, Deo adjuvante, ad convertendum accendat, et de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat: sed omnes festivitates, feriasque suas, sicut hactenus tam ipsi, quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam." Conferantur quae Gregorius de Judaeis in his, quae ipsis concessa sint, non turbandis lib. IV. epist. 21. lib. VIII. epist. 25. lib. IX. epp. 6. et 55. praescripsit. — Si vero mansuetudine corrigi non possent, gravioribus adminiculis adhibendis christianae religioni eos propensos reddi debere censebat. Notatu dignissima sunt, quae de hac re Cypriano diacono, et rectori patrimonii Siciliae lib. V. epist. 8. scripsit. „Pervenit ad me esse Hebraeos in possessionibus nostris, qui converti ad Deum *nullatenus volunt.* Sed videtur mihi ut per omnes possessiones, in quibus ipsi Hebraei esse noscuntur, epistolas transmittere debeas; eis ex me specialiter promittens, quod quicunque ad verum Dominum Deum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, *onus possessionis ejus ex aliqua parte imminuetur.* Quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, *si solidi pensionem habet, tremissis* [7]) *ei relaxari debeat; si tres vel quatuor, unus solidus relaxetur.* Si quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod Dilectio tua praevidet: ut et ei, qui convertitur, onus relevetur, et ecclesiastica utilitas non gravi dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus, eos ad Christi gratiam" (i. e. baptismum) „perducamus: quia etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideo non est grave, quidquid de pensione pro Christo dimittimus." Haec Judaeos ad fidem christianam alliciendi ratio, quae illam Thessalicam πειθανάγκην in memoriam revocat, tanto viro non satis digna esse videtur. Eam etiam aliis locis e. g. lib. II. epist. 32. commendat. Imo

7) *Tremissis,* cujus identidem mentionem faciunt medii ac inferioris aevi scriptores, est tertia pars aurei sive solidi. Solidus vero quarta parte minor ludovico nostro aureo. Conf. nota Benedictinorum ad lib. IV. epist. 28.

severitatem aliquam in paganos rusticos ecclesiae subjectos adhiberi volebat. Januario enim, episcopo Carolitano, de rusticis quibusdam ecclesiae subjectis lib. IV. epist. 26. haec praecepit: „Accidit valde lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet ecclesia tua, nuncusque in infidelitate remanere negligentia Fraternitatis vestrae permisit. Et quid vos admoneo ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet episcopi in Sardinia insula *paganum rusticum invenire potuero, in eumdem episcopum fortiter vindicabo.* Jam vero si rusticus tantae fuerit perfidiae et obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime consentiat, *tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suae poena compellatur ad rectitudinem festinare.*“ Haec cum mansuetudine, quam aliis locis eum commendasse vidimus, non consentire videntur. Ceterum in hac re minus offendemus, si reputaverimus, Augustinum etiam, quocum Gregorius malebat errare quam cum aliis vera sentire, illam ad religionem Christianam amplectendam alliciendi et compellendi viam non respuisse. „Quod vobis videtur,“ inquit in lib. II. contra secundam Gaudentii epistolam cap. 17. „invitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti.“ cet. Haec sentiendi ratio cum dogmate illo, extra ecclesiam nullam esse salutem, arctissime cohaeret, et illud πολυθρύλλητον „compelle intrare“, illius dogmatis ratione habita, mitiorem habet significationem. Sed ad Gregorium nostrum revertamur.

§. 8.

Inter Joannem, cognomine Jejunatorem (νηστευτήν), episcopum Constantinopolitanum, et Gregorium de titulo *Patriarchae oecumenici*, quem Joannes sibi vindicaverat, gravis controversia oborta est. Hunc titulum jam antecessoribus suis a concilio Chalcedonensi, (quarto oecumenico a. 451. habito) oblatum, sed ab iis rejectum esse, Gregorius pluribus locis affirmare videtur, qui ut legentium oculis proponantur a re non alienum est.

Primus locus exstat in lib. V. epist. 18. Joanni a Gregorio scripta. „Numquid non, sicut vestra Fraternitas novit, *per* venerandum Chalcedonense concilium hujus apostolicae sedis antistites, cui Deo disponente deservio, universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus umquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videatur."

In verborum delectu Gregorius hoc loco non accuratissimus esse videtur. Non enim per Chalcedonense concilium Leoni M., qui tum cathedram Romanam occupabat, hic titulus est oblatus, sed in concilii actione tertia relati sunt quidam libelli contra Dioscurum Romano pontifici exhibiti, in quibus *oecumenicus* seu *universalis* appellabatur. Videatur Mansi conciliorum collectionis T. VI. p. 1006. 1012. 1030. Id modo concedendum est, concilium illud hunc titulum, quum libelli in concilio lecti fuissent, non reprobasse. Ceterum jam Olympius, episcopus Evazensis, Dioscurum ipsum, Cyrilli Alexandrini successorem, in *latrocinio illo Ephesino* a. 449. hoc titulo ornaverat.

Secundus locus exstat in ejusdem libri epist. 20. Mauricio Augusto a Gregorio scripta.

„Pro beati Petri apostolorum principis honore, *per* venerandam Chalcedonensem synodum Romano pontifici" (nomen episcopi universalis) „oblatum est. Sed nullus eorum umquam hoc singularitatis nomine uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur *uni,* honore debito sacerdotes privarentur *universi.*"

Nec hoc loco Gregorius noster crisi historica utitur. Melius dixisset, in universalis Chalcedonensis synodi actione tertia in aliquot libellis titulo illo Leonem ornatum esse, sed pontificem hunc illo titulo uti noluisse.

Eadem habet *tertius locus* in epist. 41. lib. V. Eulogio, episcopo Alexandrino, et Anastasio, episcopo Antiocheno, data. „Sicut veneranda mihi vestra sanctitas novit, *per* sanctam Chalcedonensem synodum pontifici sedis apostolicae, cui Deo disponente deservio, *hoc universitatis*

nomen oblatum est. Sed nullus umquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit."

Quartus locus est in libri VIII. epist. 30. eidem Eulogio scripta. „Et quidem *in* sancta Chalcedonensi synodo, atque post a subsequentibus patribus hoc" (nomen universalis papae) „decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc umquam vocabulo voluit; ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum."

Hoc loco Gregorius in verborum delectu est accuratior. Non enim affirmat, titulum illum *per* Chalcedonense concilium Romano pontifici oblatum esse, sed *in* Chalcedonensi synodo. Id re vera factum est. — Ceterum, ut Gregorius a crimine indiligentiae in enarrandis rebus historicis liberaretur, non defuerunt, qui *per* Chalcedonensem synodum interpretarentur, *durante* Chalcedonensi synodo. Quamvis autem concedendum sit, vocem *per* hoc sensu adhiberi *posse*, id tamen liquet, Gregorium tam ambigue loquentem in verborum delectu non accuratissimum fuisse.

§. 9.

Ut illuc revertamur unde digressi sumus, Joannes episcopus Constantinopolitanus majora concupiscens, et humilitatem, quae christianum decet, moribus ac vita nullo modo exprimens, titulum *patriarchae oecumenici* magna cupiditate aucupabatur. Ut ei tribueretur jam Pelagii II., Gregorii antecessoris, temporibus a synodo totius Orientis Constantinopoli a. 587. habita impetrare conatus erat. Pelagius autem, teste Gregorio lib. V. epist. 43. et lib. IX. cap. 68. „synodi acta cassavit", et „archidiaconum, quem juxta morem ad vestigia dominorum transmiserat" (i. e. apocrisiarium sive responsalem) „missarum cum Joanne solemnia celebrare prohibuit." Lib. V. epist. 18. Sed Joannes, cui Mauricius Augustus favebat, a proposito non destitit, neque ad saniorem mentem se revocari passus est, quamvis Gregorius noster et per legatum suum et per literas eum hortaretur, ut ab hoc titulo usurpando abstineret,

et literis ad Mauricium et ad Constantinum Augustum datis de superbia Joannis, qua pax ecclesiae turbaretur, conquereretur. Ad Eulogium et ad Anastasium communem a nobis jam laudatam scripsit Gregorius epistolam, qua eos hortabatur, ut „scripta cum universalis nominis falsitate, nec darent umquam, nec reciperent.“ Lib. V. epist. 43. Item Eusebium Thessalonicensem et alios Graecos episcopos lib. IX. epist. 68. admonuit, ne Constantinopolitano episcopo oecumenici titulum sibi arroganti ullo modo consentirent. Gravis discordia inter Gregorium et Cyriacum, qui Joanni in sede Constantinopolitana succedebat, sibique itidem titulum patriarchae universalis tribuebat, perseverata est. Id quod ex lib. VII. epist. 33. et 34. apparet. Eum etiam admonuit, „ut si habere pacem omnium concordiamque desideraret, ab stulti vocabuli se appellatione compesceret.“ Epist. 33. Conf. epist. 4. 5. 31. Lib. XIII. epist. 40. Item responsalem suum missarum solemnia celebrare cum Cyriaco vetuit. „Meus diaconus cum praedicto fratre nostro missarum solemnia celebrare non debet; quia per profanum vocabulum culpam superbiae aut commisit, aut sequitur; ne si, quod absit, procedit [8]) ei in tali elatione posito, vanitatem stulti nominis confirmare videamur.“ Lib. VII. epist. 34. — Ipse autem non solum oecumenici patriarchae titulum constanter respuit, sed etiam sibi e contrario cognomen *servi servorum Dei* primus tribuit, quod postea omnes pontifices Romani usurparunt. Lib. 1. epist. 36. Lib. XIII. epist. 1. et aliis locis. „Ego cunctorum sacerdotum servus sum“, scripsit Mauricio Augusto lib. V. epist. 20. „in quantum ipsi sacerdotaliter vivunt.“

---

8) *Procedere* ex antiqua loquendi formula est: ad ecclesiam convenire, sacra facienti adesse; *processio:* collecta, synaxis, coetus, conventus in ecclesia. Augustinus de civit. Dei lib. XXII. cap. 8. „Inde ad me curritur, ubi sedebam, jam processurus“, nempe in ecclesiam. Eodem sensu paullo post subjungit: „Procedimus ad populum, plena erat ecclesia.“ Gregorius in libro sacramentorum p. 127. (parte prima Vol. III. edit. Bened.): „Oratio ad *processionem.*“ Haec oratio non dicitur in ipso incessu, seu deambulatione, sed in ipso templo, populo jam in eo collecto et congregato. Conf. nota 471. Benedictinorum ad hunc locum.

§. 10.

Argumenta, quibus ductus et ipse *oecumenici patriarchae* titulum respuebat, et eum episcopo Constantinopolitano recusabat, ad Gregorii sentiendi rationem cognoscendam maximi sunt momenti. Quamobrem argumenta potiora ex ipsius epistolis colligere a proposito nostro, ut imaginem viri legentium oculis subjiciamus, non abhorrere videtur.

1. Nova appellatio humilitati et modestiae, quam episcopus prae se ferre debet, repugnat. Quisquis hunc titulum usurpat, superbiae, qua diabolus cecidit, exemplum imitatur. Universalis ecclesiae caput solus est Christus.

„Vere flens dico", Joanni, episcopo Constantinopolitano, scripsit Gregorius, „atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille meus Frater nunc usque *ad humilitatem* reduci non valuit, qui ad hoc in episcopatus gradu constitutus est, ut aliorum animas ad humilitatem reducat. — Tanto major efficeris, quanto te *a superbi et stulti vocabuli* usurpatione restringis. — Quis, rogo, in tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut et nulli subesse, et solus omnibus praeesse videretur? Qui etiam dixit: In coelum conscendam cet. Quae cuncta ego quum flens conspicio, et occulta Dei judicia pertimesco, augentur lacrymae, gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir sanctissimus dominus Joannes, tantae abstinentiae atque humilitatis, familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, ut in appetitu perversi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbe esse similis Deo voluit, etiam donatae similitudinis gratiam amisit; et ideo veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quaesivit. — Quid nos episcopi dicimus, qui honoris locum ex Redemtoris nostri humilitate suscepimus, et tamen superbiam hostis ipsius imitamur? Ecce novimus Creatorem nostrum de suae celsitudinis culmine, ut humano generi daret gloriam, descendisse: et nos de infimis creati, de fratrum minoratione gloriamur. — Scriptum est: Honore invicem praevenientes. Et tu conaris eum omnibus tollere, quem

tibi illicite desideras singulariter usurpare. — Paulus apostolus quum audiret quosdam dicere: Ego sum Pauli, ego vero Cephae: hanc dilacerationem corporis Domini, per quam membra ejus aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissime perhorrescens exclamavit, dicens: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Si ergo ille membra dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus, et ipsis quidem Apostolis subjici partialiter evitavit: tu quid Christo, *universalis scilicet ecclesiae capiti*, in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione supponere?" Lib. V. epist. 18. „Recedant verba", Eulogio rescripsit, qui eum titulo *patriarchae oecumenici* ornaverat, „quae vanitatem inflant, et caritatem vulnerant." Lib. VIII. epist. 30. „Triste valde est," scripsit Constantinae Augustae lib. V. epist. 21. „ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, frater et coëpiscopus meus solus conetur appellari episcopus. Sed in hac ejus superbia quid aliud nisi propinqua jam Antichristi esse tempora designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens (Isai. 14, 13): Super astra cet."

2. Episcopi oecumenici titulo ceteris sacerdotibus aliquid derogatur, et pax ecclesiae turbatur.

„Perpende, rogo, quia in hac praesumtione temeraria, *pax totius turbatur ecclesiae, et gratiae contradicitur communiter omnibus effusae.* — — In tantum proficis, in quantum tibi *non studueris derogando fratribus arrogare.* Humilitatem ergo, Frater carissime, totis visceribus dilige, per quam *cunctorum fratrum concordia, et sanctae universalis ecclesiae unitas valeat custodiri.* — Ex hoc nefando elationis vocabulo ecclesia scinditur; fratrum omnium corda ad scandalum provocantur. Numquidnam mente excidit, quod Veritas dicit: Qui scandalizaverit unum cet. Scriptum est: Caritas non quaerit quae sua sunt. Ecce vestra Fraternitas sibi arrogat etiam aliena." Lib. V. ep. 18. „Si unus *patriarcha universalis* dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit a christiani mente id sibi velle quempiam arripere,

unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur. — Si hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur. Et quum fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus jam episcopus remansisse in statu veritatis invenitur. — Ex nova superbia tota universalis ecclesiae viscera perturbantur." Lib. V. epist. 43.

3. Nemo vir sanctus se umquam universalem vocari passus est. Nullus pontificum Romanorum hoc nomen sibi oblatum assumsit.

„Petrus Apostolorum primus, membrum sanctae et universalis ecclesiae, Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? et tamen sub uno capite omnes membra. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, *sancti ante legem, sancti sub lege, sanctu sub gratia,* omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt ecclesiae constituti, et *nemo se umquam universalem vocari voluit.* Vestra autem Sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quae illo nomine vocari appetit, *quo vocari nullus praesumsit, qui veraciter sanctus fuit*" etc. Lib. V. epist. 18. „(Petrus) claves regni caelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius ecclesiae, et principatus committitur, et tamen *universalis* apostolus non vocatur; et vir sanctissimus consacerdos meus Joannes vocari universalis episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere: O tempora, o mores!" Lib. V. epist. 20. Conferantur loca jam allegata, quibus pontifices Romanos titulum sibi oblatum respuisse affirmat.

4. Statutis evangelicis et praeceptis canonicis adversatur ista appellatio, eaque concessa universae ecclesiae fides corrumpitur.

„Pensemus", Joanni episcopo Constantinopolitano scripsit in epist. laudata (V. 18.) „quid nos praecepta admoneant Redemtoris nostri, dicentis (Matth. 5, 3.): *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Hinc etiam per Prophetam (Isai. 66, 2.) dicit: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* Certe quum Dominus ad humilitatis viam adhuc infirmantia discipulorum corda reduceret, dixit (Matth. 20, 27): *Si quis vult inter vos primus esse, erit omnium minimus.* Qua in

re aperte cognoscitur, quoniam ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Formidemus ergo in illorum numero adscribi, qui primas in synagogis cathedras quaerunt, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi? Quod contra discipulis Dominus dicit (Matth. 23, 7. 8.): *Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus enim magister vester est: vos autem omnes fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater noster.*"

Quod ad conciliorum canones spectat, Gregorius quidem singulorum canonum mentionem non facit, sed in epistola ad Eulogium supra laudata in universum affirmat: „In qua (causa) praeceptis evangelicis, *institutionibus canonum,* utilitatibus fratrum personam praeponere non possum, nec ejus quam multum amo." Mauricio Augusto scripsit (V. 20): „Quia non causa mea, sed Dei est, et quia non solus ego, sed tota turbatur ecclesia, quia piae leges, quia *venerandae synodi,* quia ipsa etiam Domini nostri Jesu Christi mandata superbi atque pompatici cujusdam sermonis inventione turbantur; piissimus dominus locum secet vulneris, atque resistentem aegrum augustae auctoritatis vinculis constringat." Et paullo post: „Quis est iste, qui contra statuta evangelica, *contra canonum decreta,* novum sibi usurpare nomen praesumit? Utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit universalis. — Qui contra omnipotentem Dominum, per inanis gloriae tumorem, atque *contra statuta patrum* suam cervicem erigit." cet. „Qua in re", Constantinae Augustae scripsit (V. 21.), „a fratre et consacerdote meo contra evangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum apostolum, et contra omnes ecclesias, contraque *statuta canonum* agitur." „Si hanc (causam) aequanimiter portamus", Anastasio episcopo Antiocheno, qui universalis episcopi titulum a Constantinopolitano episcopo usurpari non magni interesse autumabat, rescripsit (VII. 27.), *„universae ecclesiae fidem corrumpimus."*

Quamvis ex argumentis allatis appareat, Gregorium soli titulo nimium pretium statuisse [9]), ea tamen produnt sentiendi rationem vere

9) Id Gregorio quoque a Mauricio Augusto exprobratum est. Ad haec respondit

christianam, quae neminem laedere, pacem ecclesiae conservare, nec sibi plus justo tribuere volebat, et Christum velut unicum ecclesiae caput venerabatur. Successores Gregorii non eadem sensisse, sed de titulo illo usurpando velis remisque contendisse, ex historia ecclesiastica notissimum est. Sed post Gregorium totius reipublicae christianae facies sensim mutata est.

§. 11.

In universum Gregorius, si cum successoribus eum comparaveris, de sua ipsius auctoritate modeste sentiebat, et ceterarum ecclesiarum jura libenter agnoscebat, nec singulorum episcoporum auctoritati quidquam detrahere volebat. „De ecclesiasticis privilegiis", Dominico, episcopo Carthaginiensi, rescripsit lib. II. epist. 47, „quod vestra Fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat: quia *sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque ecclesiis sua jura servamus.* Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur impertior, *nec ulli hoc quod sui juris est ambitu stimulante derogo; sed fratres meos per omnia honorare cupio,* sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi." „Mihi injuriam facio", Natali, episcopo Salonitano, scripsit lib. II. epist. 52. „si fratrum meorum jura perturbo." Quamvis principis apostolorum sedi principatum tribueret, [10]) jurisdictionemque episcopalem in tota ecclesia christia-

lib. VII. epist. 33. „De qua re mihi in suis jussionibus dominorum Pietas praecipit, dicens, ut per appellationem *frivoli nominis* inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo ut imperialis Pietas penset, quia alia sunt frivola valde innoxia, atque alia valde nociva. Numquidnam quum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duae sunt syllabae; si vero pondus iniquitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum praecurrit, quia superbiendo se ceteris praeponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines; ita quisquis est, qui *solus* sacerdos appellari appetit, super reliquos sacerdotes se extollit."

10) „Dignum est" scripsit Theodolindae reginae Langobardorum lib. IV. epist. 38.

na, [11]) intra ipsos Constantinopolitani patriarchatus fines, ut vel ex causa monachorum Isauriae apparet, [12]) de qua deinceps uberius disputabitur, exerceret, sedem tamen S. Petri *non ad Romam* restrinxit, sed tribus locis, *Romae*, ubi Petrus diem obiisset supremum, *Alexandriae*, quo Marcum evangelistam suum Petrus misisset, ut ibi sedem figeret, et *Antiochiae*, ubi septem annos princeps ille apostolorum commoratus esset, assignavit.

„Quum multi sint apostoli," Eulogio, episcopo Alexandrino, scripsit lib. VII. epist. 40., „pro ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, quae in tribus locis *unius* est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, et praesentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit. Quum ergo *unius* atque *una* sit sedes, cui ex auctoritate divina *tres* nunc *episcopi* praesident, quidquid ego de *vobis* boni audio, hoc *mihi* imputo. Si quid de *me* boni creditis, hoc *vestris meritis* imputate." cet. Alio loco ad eundem Eulogium scripsit (lib. VI. epist. 60.):

„ut de ecclesia beati Petri apostolorum principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis; sed in vera fide persistite,' et vitam vestram in petra ecclesiae, hoc est in confessione beati Petri apostolorum principis solidate: ne tot vestrae lacrymae tantaque bona opera pereant, si a fide vera inveniantur aliena."

11) „Si qua culpa in episcopis invenitur, nescio quis sedi apostolicae episcopus subjectus non sit. Quum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt." Lib. IX. epist. 59.

12) Hujus causae rationem habens Gregorius Mariniano, episcopo Ravennae, scripsit lib. VI. epist. 24.: „Numquid non ipse nosti, quia causa, quae a Joanne Presbytero contra Joannem Constantinopolitanum fratrem et coëpiscopum nostrum orta est, secundum canones ad sedem apostolicam recurrit, et nostra est sententia definita?" — Ex epist. 66. lib. VI. apparet, Romanis pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem et consuetudinem fuisse, cui parere obstricti erant etiam Orientalis ecclesiae alumni Constantinopolitano patriarchae alioquin subjecti.

„Sicut omnibus liquet, quod beatus evangelista Marcus a sancto Petro apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic hujus nos magistri et discipuli unitate constringimur, ut et ego *sedi discipuli* praesidere videar propter magistrum, et vos *sedi magistri* propter discipulum.“ In alia ad Eulogium epistola eidem scripsit (lib. VIII. epist. 30.): „Scio qui sum, qui estis. *Loco* enim mihi *fratres* estis, moribus patres,“ et in epist. 41. lib. XIII. ad eundem Eulogium: „Sedes *vestra, nostra* est.“ Ad Anastasium episcopum Antiochenum scripsit lib. V. epist. 39.: „Memento quia *apostolicam* sedem regis.“ Episcopos quidem quoscumque vocatos fuisse *apostolicos*, eorumque sedem *apostolicam*, neminem historiae ecclesiasticae peritum fugit. Sed Antiochena et Alexandrina sedes sensu strictiori apostolica nominabatur, illa, quod in ea S. Petrus primum sederit, haec, quod S. Marcus Petri discipulus eum administraverit primus. Conf. lib. VI. epist. 60.

§. 12.

Quamvis autem Gregorius de se ipso modeste sentiret, nec sedi Romanae plus justo tribuere vellet, de dignitate tamen sacerdotali magnifice sentiebat. Mauricium Augustum, qui eum *fatuum* appellaverat, in epist. 40. lib. V. magnopere hortatus est, ut sacerdotibus debitam reverentiam praestaret, eique Constantini M. exemplum in animum revocavit. „In divinis eloquiis,“ inquit, „aliquando sacerdotes *Dii*, aliquando *Angeli* vocantur. Nam et per Moysem de eo, qui ad juramentum deducendus est, dicitur (Exod. 22, 8.): Applica illum ad Deos, id est ad sacerdotes. — — Quid ergo mirum, si illos vestra Pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut *Angelos*, aut *Deos ipse* etiam appellat *Deus?* Ecclesiastica quoque testatur historia, quia quum piae memoriae Constantino principi, scripto oblatae accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, sed eosdem, qui accusati fuerant, episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dei estis, a vero Deo constituti. Ite, et inter vos causas vestras disponite; quia dignum non est ut nos judicemus Deos.“

§. 13.

Postquam Gregorius annos tredecim, sex menses et aliquot dies sedi episcopali Romanae praefuerat, diem obiit supremum a. 604.; nec solum Latini, sed etiam Graeci memoriam ejus summa reverentia prosecuti sunt. Graecorum menologio nomen ejus maxima cum laude inscriptum est ad diem XI. Martii.

Ac de Gregorii vita pro instituti nostri ratione satis dictum est.

§. 14.

Ex his disputatis efficitur, Gregorium nostrum, si animi indolem omni arrogantia alienam, morum probitatem, vitae integritatem, verecundiam et in religione christiana promovenda studium vere apostolicum spectamus, inter omnes pontifices Romanos eminuisse. Praecepta, quae in Regula Pastorali praeiverat, exemplo et toto vitae habitu expressit; ecclesiae christianae per communem totius Occidentis tempestatem calamitatemque labenti ac prope cadenti succurrit, eandemque feliciter rexit, conservavit et institutionibus salubribus auxit, fortiter denique contra fidei inimicos vel externos vel domesticos defendit. Propagandae inter Anglo-Saxones fidei christianae studium, quo magnifice in rem christianam meruit, non a dominandi cupiditate proficiscebatur, sed a vera fide et caritate christiana, qua ad regnum Christi dilatandum ferebatur. Gregorius igitur, qui in summo honore habeatur, dignissimus est.

Si ad Gregorii ingenium et doctrinam spectamus, eum non ita magnis ingenii dotibus praeditum, nec literis valde excultum fuisse apparet. Quamvis Augustinum maximis laudibus efferret, [13]) et in scriptorum ejus lectione tantum studium posuisset, ut eorum lectionis vesti-

13) Quanti Augustinum fecerit Gregorius, vel inde apparet, quod Innocentio, Africae praefecto, suos in Iobum libros postulant; Augustini libros commendat in lib. X. epist. 37. „Si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotae vestri opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quaeratis.“

gia in Gregorii scriptis ubique deprehenderentur, cum magno tamen illo theologo eum nullo modo esse comparandum, nec eo acumine fuisse praeditum, ut sensum vere profundum doctrinae Augustinianae ubique caperet, atque adeo, etsi vestigia ejus scrupulosa diligentia premeret, vel inscium multis stadiis ab eo discessisse, placitorum Gregorii expositio docebit. — Nec magna eruditione noster excellebat. Quum Graece nesciret, eum Graecorum historiae ecclesiasticae notitia modo leviter imbutum fuisse, [14]) mirari non licet. Oratio ejus Latina tam horrida et

14) Eudoxii, in Cyriaci synodica epistola damnati, haeresin Gregorio plane ignotam fuisse, ex lib. VII. epist. 7. et 34. patet. „Inter eos," scripsit Eulogio epist. 7., „quos per sanctissimas generales synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium *quemdam* vos damnasse reperimus; cujus nomen in Latina lingua neque in synodis, neque in libris beatae memoriae episcoporum Epiphanii (?), Augustini, et Philastri, quos contra haereticos praecipue disputasse novimus, positum reperimus." „*Quemdam* Eudoxium" scripsit epist. 34. eidem episcopo Alexandrino, et Anastasio episcopo Antiocheno „(Cyriacus) damnavit, quem neque in synodis damnatum invenimus, neque a decessoribus ejus in suis synodicis reprobratum. Et canones quidem Constantinopolitani concilii Eudoxianos damnant; sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. — In historia Sozomeni, de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanae ecclesiae episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, et Theodorum Mopsuestiae nimium laudat. — In Latina vero lingua de hoc Eudoxio nunc usque, neque in Philastro, neque in beato Augustino, qui multa de haeresibus conscripserunt, neque in aliis Patribus aliquid invenimus. Caritas igitur vestra, si quis apud Graecos probatorum Patrum de eo sermonem fecit, suis mihi epistolis innotescat." — At non solum Sozomenus, sed etiam Socrates et Theodoretus, Basilius, Gregorius Nazianzenus atque Epiphanius, imo ipse Athanasius (Orat. I. contra Arianos) Eudoxii et Eudoxianorum mentionem fecerunt. Conferantur quae Eulogius in literis, quibus Gregorio respondit, de Eudoxio a Basilio, Gregorio Nazianzeno atque Epiphanio damnato affert. Vid. Greg. epist. 30. lib. VIII. — Quid? quod Gregorium ipsum quartum concilium oecumenicum Chalcedone a. 451. habitum non probe cognovisse, apparet ex epist. 39. lib. IV., ubi Constantio episcopo Mediolanensi, quinti oecumenici concilii ratione habita,

inculta est, ut Gregorius hac ratione nulli fere scriptori ecclesiastico antecedere videatur. In interpretandis libris sacris sensum grammaticum et historicum, quamvis sensum literalem proxime sequi se velle in epistola quidem ad Leandrum Moralibus praefixa profiteretur, eruere negligebat, et pro aevi sui indole in mystica et typica interpretatione mirum quantum sibi placebat. Juris autem, maxime canonici, egregia scientia excellebat.

---

haec scripsit: „In ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, et de his personis, de quibus *in Chalcedonensi concilio nihil continetur*; sed post expressos canones facta contentio et extrema actio de personis ventilata est.“ At in Chalcedonensi concilio de Theodoreto et Iba disertis verbis act. 8. 9. 10. judicatum est. Quae de canonibus affert, ea longe aliter se habere, neminem harum rerum peritum fugit.

CAPUT SECUNDUM.
De scriptis Gregorii.

§. 1.

Gregorii operum, quae aetatem nostram tulerunt, agmen ducunt *libri XXXV. Moralium sive expositiones in librum beati Job.* Conscripti sunt inde ab anno 579., quum Gregorius apocrisiarii munere Constantinopoli fungeretur. In his libris conscribendis id sibi potissimum proposuit, ut lectores subtiliore doctrinae christianae scientia imbueret. Ea publice ad vigilias legi, utpote ad captum vulgi non scriptos, Gregorius non probavit. Id quod ex epist. 24. lib. XII. apparet. „Illud quod ad me quorundam relatione perlatum est," inquit, „quia reverendissimus frater et coëpiscopus meus Marinianus legi commenta beati Job publice ad vigilias faciat, non grate suscepi, quia *non est illud opus populare, et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat.*" Ibi etiam haec monet: „In parte tertia beati Job in eo versu, in quo scriptum est: Scio quod Redemtor meus vivit; suspicor quia frater et coëpiscopus meus Marinianus mendosum codicem habeat. Nam in scrinio nostro idem locus aliter habetur, quam hunc in aliorum codicibus esse cognovi; atque ideo eundem locum relevari feci, ut sicut in scrinio nostro est, ita quoque hunc et frater meus habeat. Quatuor enim verba sunt, quae si eidem loco defuerint, non modicum possunt lectori scrupulum generare." — Quantum typicae interpretationi in his libris Gregorius indulserit, unum exemplum luculentum instar omnium afferre juvat. In libro XXXV. §. 39. locum illum celeberrimum Esaiae 1, 3. „Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui" ita interpretatur: „Quia bovis nomine plebs Israëlitica figuratur, propheta asserit, qui Redemtoris adventum denuntians dicit:

Cognovit etc. Per bovem scilicet Israëliticum populum jugo legis edomitum signans; per asinum vero, Gentilem populum indicans', voluptatibus deditum, et gravius brutum.“ [15])

§. 2.

Moralium libros in editione Benedictinorum excipiunt *homiliarum in Ezechiëlem prophetam libri duo*, qui homilias XXII., quae inde ab anno 592. habitae sunt, continent. Gregorius in his libris Ezechiëlem more suo, i. e. allegorice interpretatur, et hac interpretatione utitur ad animos auditorum et lectorum vel informandos vel corrigendos.

§. 3.

Eadem ratione, sed diverso tempore calamo exceptae aut pronuntiatae sunt *homiliae XL in Evangelia*, quae libros duos explent. Nonnullae ex his homiliis homilias in Ezechiëlem aetate antecedunt.

Homiliis XL in Evangelia adjuncta est *de mortalitate oratiuncula.* Habita est anno 590. ad Romanos, animum jam despondentes, erigendos, tempore pestis, qua primus omnium Pelagius pontifex mortuus erat.

§. 4.

Paullo post quum Gregorius ipse ad dignitatem pontificalem ascendisset (lib. V. epist. 49.), conscripsit *regulam pastoralem*, bonae frugis librum, cujus mentionem jam fecimus. Anastasius, episcopus Antiochenus, eam vivente Gregorio in linguam Graecam vertit. Conferatur lib. XII. epist. 24. Haec versio, quoad sciam, aetatem nostram non tulit.

§. 5.

Dialogorum libri IV. scripti anno 593., et a Zacharia pontifice Romano Graece versi, *de vita et miraculis Patrum Italicorum et de animorum immortalitate* agunt. In libro quarto Gregorii doctrina de *purgatorio*, quo *leves culpae* deleantur, accuratius exponitur. Zacha-

15) In epistola ad Leandrum operi praefixa Gregorius cap. 2. haec affert: „Opus hoc per triginta et quinque *volumina* extensum, in sex *codicibus* explevi.“ *Volumina* sunt libri, *codices* sectiones.

riae versio Graeca in recentioribus operum Gregorii editionibus exstat. *Αὐθεντία* dialogorum a nonnullis in dubium vocata extra omnis dubitationis aleam posita est a *Gussanvillaeo* in Vindiciis dialogorum S. Gregorii, (in ipsius edit. Opp. Greg. fol. 11. p. 327 seqq. et in edit. Benedictinorum T. II. p. 105 seqq.), a *Mabillonio* (in praef. ad Tomum I. Actorum §. 2.) et a *Benedictinis* (in praef. T. II. p. 113 seqq.).

§. 6.

Omnium praestantissimum et ad reipublicae tam civilis quam ecclesiasticae statum cognoscendum accommodatissimum opus est *collectio epistolarum Gregorii* per totum pontificatus sui spatium ab eo scriptarum. Haec collectio *regestri* sive registri nomine insignitur; *regestrum* enim est penus, collectio. Editiones antiquiores in libros XII. distribuunt epistolas Gregorii; Benedictini autem eas secundum temporis rationem digesserunt, et libris XIV. comprehenderunt, quibus fragmenta aliquot adjunxerunt.

Harum epistolarum *αὐθεντία* in dubitationem nullo modo vocari potest, excepta epistola 52. lib. IX. ad Secundinum monachum, quae est dubiae fidei, aut saltem valde interpolata. Facilius, secundum Gussanvillaei, harum rerum peritissimi, sententiam expungi quam sanari potest. Interpolatio autem potissimum ad ea referri debet, quae de lapsis praecipiuntur. Nec omnem interpolationis suspicionem effugit epistola 64. lib. XI., in qua ad varia dubia, ad disciplinam potissimum ecclesiasticam spectantia, ab Augustino, Anglorum episcopo, proposita respondetur. Denique epistolarum 8. 9. et 10. lib. XIII. *αὐθεντίαν* aut saltem integritatem in dubitationem nonnulli vocaverunt, sed sine idoneis argumentis. Conferantur quae Benedictini de hac re doctissime disputaverunt.

§. 7.

Ex epistolis ad sentiendi rationem Gregorii de orthodoxa fide pernoscendam maxime faciunt:

1. Lib. I. epistola 25. Haec epistola quatuor Patriarchis, Joanni Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno et Ana-

stasio Expatriarchae Antiocheno, qui e sede sua a Justiniano pulsus erat, missa, professionem fidei Gregorii exhibet. Ipse enim Romanus pontifex ad ceteros patriarchas statim a promotione sua literas mittere consueverat, fidei indices ac testes. Conf. Gelasii I. epist. 2. ad Laurentium.

„*Sicut sancti Evangelii quatuor libros,*“ inquit Gregorius, „*sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor.* Nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio. — Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo et epistola, quae Ibae dicitur, erroris plena, reprobatur.“ etc. Eadem fere repetit epist. 38. lib. IV.

2. De quinto concilio oecumenico, Constantinopoli anno 553. habito, quid statuerit Gregorius, in primis patet ex epistola 51. lib. II., quae ex omnibus, quae a Gregorio in causa *trium capitulorum* scriptae sunt, maxime insignis est. Conf. Oelrichsii lib. cit. p. 391.

„In synodo, in qua de tribus capitulis actum est, aperte liquet, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis, de quibusdam illis solummodo personis est actitatum, quarum una,“ (Theodorum Mopsuestenum significat) „cujus scripta evidenter a rectitudine catholicae fidei deviabant, non injuste damnata est.“

3. Lib. III. epist. 10. de auctoritate quatuor conciliorum eadem, quae epist. 25. lib. 1., affirmat, et de ea quarti concilii (Chalcedonensis) quaedam adjungit.

„Sic quatuor synodos sanctae universalis ecclesiae, sicut quatuor libros sancti evangelii recipimus. De personis vero, de quibus post terminum synodi (Chalcedonensis) aliquid actum fuerit, piae memoriae Justiniani temporibus est ventilatum; ita tamen, ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eandem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathe-

matizamus autem si quis ex definitione fidei, quae in eadem synodo prolata est, aliquid imminuere praesumit, vel quasi corrigendo ejus sensum mutare; sed sicut illis prolata est, per omnia custodimus." Conf. lib. IV. epist. 4.

4. Item lib. V. epistola 51. Petro et Prudentio, episcopis Histriae, data quatuor conciliorum mentionem facit.

„Illa quae sanctissimae quatuor synodi sapuerunt atque definierunt, sicuti praedecessor noster sanctissimus Leo papa, ita et nos sapimus, sequimur, ac tenemus, nec ab earum fide aliquo modo dissentimus."

Conferantur quae epistola 2. lib. VI. affert. „Si quis contra harum quatuor synodorum fidem et contra sanctae memoriae Leonis papae *tomum* atque definitionem aliquid umquam loqui praesumit, anathema sit." *Tomi* voce epistola 24. illa dogmatica Leonis M. ad Flavianum patriarcham Constantinopolitanum et universum concilium Chalcedonense missa intelligenda est. *Tomus* enim volumen aut codicem significat, nec ingentem solum, sed et modicum libellum, epistolamque.

5. Memoratu denique dignissima sunt, quae Gregorius de Christo velut fundamento fidei affirmat in epistola 49. lib. IX. ad Anastasium, episcopum Antiochenum, cui rectam fidei professionem, quam exhibuerat, gratulatur.

„Praedicator egregius dicit (1. Cor. 3, 11.). Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Quisquis ergo cum dilectione Dei et proximi, fidei, quae in Christo est, firmitatem tenet, eundem Jesum Christum Dei et hominis filium apud se posuit fundamentum. Sperandum ergo est quod ubi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequatur aedificium. Ipsa quoque per se Veritas dicit (Joan. 10, 2.): Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; qui autem per ostium intrat, pastor est ovium. Qui paullo post subjicit, dicens: Ego sum ostium. Ille ergo ad ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ille autem per Christum ingreditur, qui de eodem Creatore ac Redemtore humani generis vera sentit et praedicat, et praedicata

custodit" cet. Eadem Gregorius ad verbum repetit in epistola 46. lib. XI., per quam Isacii episcopi Jerosolymitanae synodicae epistolae respondet.

§. 8.

Liber sacramentorum a Gregorii decessoribus, maxime Gelasio I., inchoatus, a Gregorio autem correctus et auctus (conf. Joannis Diaconi vita Gregorii lib. II. cap. 17.) exhibet ritus et formulas quarumcunque missarum. *Sacramentorum* voce hîc solum eucharistiae sacramentum intelligitur, quod plurali numero in singulis fere missis celebratur, quum propter duplicem panis et vini materiam, tum propter corpus et sanguinem Christi, quae illam continere catholici perhibent. Videsis notam *a* Benedictinorum ad hunc librum. An is ad nos pervenerit, qualis editus exstaret a Gregorio, in dubitationem cadit, et ratione multo probabiliori id negatur quam affirmatur. Conferatur Oelrichsius in commentariis p. 414. In allegando igitur hoc libro caute versandum est. *Appendix* et *duo supplementa* libro sacramentorum a Benedictinis adjuncta, quibus benedictiones episcopales (*benedictionale*) insunt, quaedam sublestae fidei continent.

§. 9.

Liber antiphonarius nomen duxit ab *antiphona*, hoc est, introitu qui cantica antecedit. Hoc enim sensu antiphona hîc usurpatur. Sed non solum antiphonam, sed etiam omnes cantus in missae celebratione solemnes complectitur. Non unius, sed plurium fetum esse hunc librum apparet, a Gregorio autem eum adornatum et redactum esse Joannes Diaconus in vita Gregorii lib. II. cap. 6. his verbis affirmat: „In domo Domini more sapientissimi Salomonis, propter musicae compunctionem dulcedinis, *antiphonarium centonem* cantorum studiosissimus nimis utiliter *compilavit.*"

§. 10.

Liber responsalis sive *antiphonarius* (sensu proprio), *officialis*. *Responsalis* dicitur a responsoriis, *antiphonarius* ab antiphonis, *officialis* ab integro officio ecclesiastico, sive officii cursu tam diurno, quam

nocturno. Quum multorum sanctorum in Gallia Belgica celebrium, e. g. Vedasti, Medardi officia complectatur, codicem, quem Benedictini primi ediderunt, ad Gallicanae cujusdam ecclesiae supellectilem sacram pertinuisse, probabile fit. Alia vero ordinem Romanum redolent. Quamobrem veterem officii divini celebrandi ritum in ecclesia Romana observatum, ex priorum pontificum, maxime vero ex S. Gregorii praescripto hic exhiberi, Benedictini conjecturâ probabili existimaverunt. Conferatur praefatio Benedictinorum ad hunc librum. Adjecti sunt hymni *octo* (non: novem, ut Antonius in libro jam laudato p. 142. affirmat) a Gregorio compositi. [16])

§. 11.

In librum primum Regum, qui et Samuëlis dicitur, variarum expositionum libri VI. Explicatur primus Samuëlis liber usque ad unctionem Davidis cap. 16, 13. De scriptore hujus commentarii tres sunt sententiae. Prima est, commentarium esse fetum Gregorii M. Secunda, Gregorio M. eum prorsus esse abjudicandum. Tertia, quam Benedictini, duce ipso Gregorio in lib. XII. epist. 24., tuiti sunt, commentarium ex homiliis a Gregorio in librum primum Regum habitis collectum et consarcinatum esse a Claudio ejus discipulo, postea monasterii

16) J. Ch. F. Bährius in libro, cui titulum fecit: die christlichen Dichter und Geschichtschreiber Roms. Carlsruhe 1836., p. 79. affirmans, in editione Benedictinorum hymnos Gregorii non contineri, fallitur; exstant enim in parte prima Tomi III. p. 877 seqq. edit. Benedictinorum. Parisiis 1705. Ceterum de his hymnis haec habet Vir clarissimus: „Einige derselben sind im sapphischen Versmass, die meisten in vierfüssigen Jamben gedichtet, welche überhaupt für diesen Zweig der Poesie besonders geeignet erschienen. Im Ganzen zeigen diese Lieder viele Aehnlichkeit mit denen des Ambrosius, Sprache und Ausdrucksweise ist zwar minder rein, aber doch immer einfach und natürlich zu nennen; dem Inhalt fehlt es nicht an einem gewissen Schwung und an einer Erhabenheit der Gedanken, die uns eben so von dem christlichen Gemüth des Dichters, wie von seinem wahrhaft poetischen Talent überzeugt und seinen Liedern, in denen überhaupt der Character des Kirchenliedes durchaus festgehalten ist, eine vorzügliche Stelle in der christlichen Lyrik anweist."

Classensis abbate, aut, ut Oudino in commentariis T. I. videtur, a Claudio juniore Taurinensi. Haec sententia multa habet, quibus se commendet. A doctrina enim Gregorii aliquando recedere videtur qui commentarium contexuit, maxime in doctrina de libero arbitrio, cui modo nimium tribuit, de quo modo detrahit idque omnino tollit. Accedit quod commentario alia insunt, quae cum Gregorii sentiendi ratione non consentire videntur. Gregorium e. g. in Moralibus literas humaniores contemsisse vidimus, in hoc commentario longe aliter de pretio illis statuendo judicat. [1]) Quae quum ita sint, cum magna cautione adeundus est hic commentarius.

§. 12.

Super cantica canticorum expositio, quam Benedictini ex codicibus manuscriptis multo auctiorem ediderunt, propter testes locupletissimos, praesertim Paterium, Gregorii discipulum, qui ex ea sententias excerpserunt, quae nunc in illa expositione leguntur, Gregorio non omnino abjudicanda est, quamvis propter locum jam laudatum concedendum sit, Claudium in ea quaedam mutasse.

§. 13.

In septem Psalmos poenitentiales expositio. Hic commentarius a

17) In lib. quinti cap. 4. §. 30. 31. haec legimus. „Ad hoc liberales artes discendae sunt, ut per instructionem illarum divina eloquia subtilius intelligantur. A nonnullorum cordibus discendi desiderium *maligni spiritus tollunt, ut et secularia nesciant, et ad sublimitatem spiritalium non pertingant.* — Daemones sciunt, quia dum secularibus literis instruimur, in spiritualibus adjuvamur. Moyses, qui nobis divinorum eloquiorum principia edidit, non prius divina didicit, sed ut capere, vel exprimere divina posset, in omni Aegyptiorum scientia rudem animum informavit. Isaias etiam prophetis aliis eloquentior extitit, quia nec, ut Jeremias Anathotites, nec, ut Amos armentarius, sed nobiliter instructus atque urbanus fuit. Paulus quoque vas electionis ante ad Gamalielis pedes instruitur, quam rapiatur in paradisum, vel ad coeli tertii altitudinem sublevetur. Et ideo fortasse per doctrinam aliis Apostolis excellit; quia futurus in caelestibus, terrena prius studiosus didicit. — *Sacri eloquii profunditatem penetrare ignari secularis scientiae non valemus.*“

nonnullis viris doctis, maxime Gussanvillaeo, Gregorio *septimo* adscribitur, et quae ibi de „schismatico, haeretico, infideli quodam“ afferuntur, ad Henricum IV. Imperatorem Gregorii VII. aequalem et ipsi infensissimum referuntur. Sed commentarius Gregorii Magni stylum in universum sapit; multis tamen in locis interpolationis vestigia prodit. Claudium etiam eum in nonnullis mutasse, ex epistola laudata apparet. In eadem epistola „*Psalmorum commentorum*“ mentionem facit Gregorius his verbis: „Dic Mariniano,“ (episcopo Ravennae), „ut *commenta Psalmorum* legi ad vigilias faciat, quae mentes secularium ad bonos mores praecipue informant.“ Sed haec de Gregorii commentariis in Psalmos poenitentiales non debere accipi, ex iis apparet quae proxime sequuntur. „Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci.“ Significat itaque commentarios aut ab Augustino, aut ab Ambrosio, aut ab alio scriptore ecclesiastico evulgatos.

§. 14.

Concordia quorundam testimoniorum sacrae scripturae. Hic liber et cum sententiis Gregorii, et cum orationis genere, quod ei est familiare, apprime conspirat. Conferantnr quae in responsione ad primam interrogationem de duplici timore iisdem fere verbis, quibus Moralium XXXIV. 4o., disputantur. Sed hoc non evincit, Gregorium fuisse scriptorem hujus concordiae. Quidni enim, ut Benedictini recte monent in praefatione ad illam, quispiam in illis operibus evolvendis assiduus, potuerit ex ejusdem tum sententiis, tum etiam verbis opusculum hoc contexere et consarcinare?

§. 15.

Ex hac brevi scriptorum Gregorii censura apparet, ad primarios Gregorii doctrinae fontes, *Moralia*, *Homilias in Ezechiëlem*, *Homilias in Evangelia, Regulam Pastoralem, et Dialogos* pertinere. *Epistolae*, quamvis ad ecclesiae statum illius temporis cognoscendum maximi sint momenti, ad Gregorii tamen doctrinam de singulis placitis anthropologi-

cis excutiendam non multum faciunt. In ceteris Gregorio adscriptis libris usurpandis magna cautio adhibenda est, quum quaedam iis insint, quae Gregorio tribui non possunt.

§. 16.

Ex Gregorii operum editionibus est praestantissima Benedictinorum Parisiis 1705. Voluminibus IV. in Fol. evulgata. Volumina tria priora complectuntur Gregorii scripta; volumen quartum praeter vitas in capite primo hujus scriptionis jam laudatas, *Paterii*, Gregorii discipuli, *librum de expositione Veteris ac Novi Testamenti de diversis libris S. Gregorii Papae concinnatum*, et *Alulphi*, primum clerici, deinde monachi, initio seculi XII. florentis, *librum de expositione Novi Testamenti*, qui item ex Gregorianis scriptis collectus est. Benedictinorum editio est vel locupletata vel in compendium redacta a *Gallicioli* Venetiis 1768 seqq. in 17 Voll. 4. Hanc editionem oculis usurpare mihi non contigit. — De Gregorii scriptis conferendi sunt *Dupinus*, *Cavius*, *Oudinus*, *J. A. Fabricius*, *Heumannus*, *Hambergerus*, *Saxius*, *Oelrichsius*, *Baehrius* [18]) in libris notissimis.

§. 17.

His de Gregorii vita ac scriptis disputatis transituri ad id, in quo cardo disputationis nostrae maxime vertitur, doctrinam Gregorianam anthropologicam secundum fontes genuinos a nobis allegatos excutiamus.

18) Praeter Baehrii libellum jam laudatum conferendus est ejusdem Viri doctissimi liber, qui nuperrime prodiit sub titulo: Die christlich-römische Theologie. Eine literär-historische Uebersicht. Carlsruhe. 1837. In §§. 199—203. Gregorii scripta recensentur.

Wiggers, Gustav Friedrich

DE

GREGORIO MAGNO

EIUSQUE

PLACITIS ANTHROPOLOGICIS

COMMENTATIONIS POSTERIORIS

PARTICULA PRIMA.

SCRIPSIT

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS

UNIVERSITATIS LITERARUM ROSTOCHIENSIS

H. T. RECTOR.

ROSTOCHII

TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXXXIX.

CAPUT TERTIUM.

De placitis Gregorii anthropologicis.

§. 1.

Placitorum anthropologicorum voce ex theologico loquendi usu ea dogmata significari, quae ad hominis statum moralem pertineant, neminem fugit.

Ut in his placitis exponendis ordine quodam utamur, *primum* ea, quae Gregorius de statu hominis primitivo, *deinde* quae de lapsu Adami, *tum* quae de statu naturae corruptae per peccatum Adami, praesertim liberi hominis arbitrii ratione habita, *postea* quae de gratia divina, *denique* quae de praedestinatione et redemtionis ambitu docuit statuitque, ex Gregorii ipsius scriptis legentium oculis subjiciemus. Tum etiam apparebit, num ii recte judicaverint, qui Gregorium eadem, quae Augustinus, de peccato originali, gratia cet. sensisse perhibent.

§. 2.

I. *De statu hominis primitivo.*

Homini in statu primitivo plura bona, quae lapsu perdiderit, partim physica, partim ad intellectum pertinentia, partim moralia tribuebat Gregorius.

A. Ad bona physica referebat corporis immortalitatem. Adamus non moriturus fuisset, nisi peccasset.

„Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis caritatis adstringeret, ad caelestem angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret. *Sic namque immortalis est conditus, ut tamen si peccaret, et mori posset: et sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori posset;* atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua

vel peccare, vel mori non posset. Ubi igitur post redemtionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi, si in conditionis suae statu perstitissent, etiam sine morte corporum transire potuissent.“ Mor. IV. 54. „Sic primus homo conditus fuit, ut per aumenta temporum tendi posset ejus vita tantummodo, non evolvi. Sed quia sponte ad culpam decidit, quo attigit vetitum, pertulit decursum, quem nunc homo praesentis vitae desiderio oppressus, indesinenter et tolerat et optat.“ IX. 50. „Dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem; in cursu vitae praesentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur: et inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitae credit. Fixum etenim statum hîc habere non possumus, ubi transituri venimus: atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie a vita transire est. *Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit; quia tempora, eo stante, transibant.*“ XI. 68. „Primus homo ita conditus fuit, ut, manente illo, decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus: quia nequaquam ad vitae terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tanto robustius, quanto semper stanti arctius inhaerebat. At ubi vetitum contigit, mox offenso creatore coepit *ire cum tempore. Statu* videlicet *immortalitatis* amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit. Et dum juventute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fecit.“ XXV. 4. Conf. S. Paterii lib. I. super Genes. cap. 27. — „Adam *immortalitatem* amisit.“ Mor. XXXIII. 45. „*Mortem nequaquam incurreret* (homo), si divinis praeceptis obediens numquam peccaret.“ Explan. 5ti Psalmi poenit. §. 17.

Haec cum Augustini doctrina apprime consentiunt. Augustinus enim distinguebat inter immortalitatem minorem, qua homo *potest non mori*, et immortalitatem majorem, qua homo *non potest mori*, eique in statu primitivo illam tribuebat. Hanc autem secundum Augustinum consecuturus fuisset, si in statu innocentiae perseverasset. Conf. loca a me in libro: Pragmatische Darstellung des Augustinismus

und Pelagianismus. T. 1. Berolini 1821. p. 181 seqq. allegata. Sed in eo Gregorius ab Augustino discessisse videtur, quod hic primo homini immortalitatem majorem jam per commorationem *in terra*, ille autem *in caelo* assignabat. „Redemtor noster" inquit Mor. IV. 56. „pro nostrae culpae debito occumbens, inferna penetrat; ut suos, qui ei inhaeserant, ad *caelestia* reducat. Sed *quo* nunc homo redemtus ascendit, *illuc etiam non redemtus ascenderet*, ad quod praedicatores sanctos necesse est cum magno labore pervenire."

Ad bona physica Adami item pertinebat, Gregorio auctore, vacuitas omnium molestiarum vel animi vel corporis. Ab omni morbo homo primus liber erat.

Mor. VIII. 53. 54. Gregorius molestias corporis et mentis depingit, quibus homo propter praevaricationem primam *nunc* premitur, a quibus ergo *ante praevaricationem* liber erat. — „Hoc ipsum in hac vita corruptioni nos esse subjectos, jam de flagello disciplinae est. *Aestu enim et frigore, fame sitique turbari, morbis affici, quandoque etiam extingui, quid sunt haec aliud, quam flagella peccati?*" XIII. 36.

§. 3.

B. Ad bona, quae primi hominis intellectum spectant, Gregorius referebat puram Dei et conditionis suae cognitionem.

Id apparet ex descriptione caliginis menti humanae post praevaricationem Adami obductae, qua impeditnr, quo minus Deum, sicut est, cognoscat.

„Post poenam damnati peccatores nascimur —; et quum ad supernae lucis radium aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostrae obscuritate caligamus." Mor. IV. 45. „*Ad contemplandum creatorem homo conditus fuerat, ut ejus semper speciem quaereret*, atque in solemnitate illius amoris habitaret. Sed extra se per inobedientiam missus, *mentis suae locum* perdidit; quia tenebrosis itineribus sparsus, ab inhabitatione veri luminis elongavit. — Locus quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet conditor extitit, qui hunc, ut in semetipso consisteret,

creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit; quum seductoris verba audiens, a conditoris amore discessit.“ VIII. 34. 35. „Ad hoc homo conditus fuit, ut *bonum, quod Deus est, videre potuisset*: sed qui *stare ad lucem* noluit, fugiendo oculos amisit: quia quo per culpam coepit ad ima decurrere, eo coecitatem pertulit, ne intimum lumen videret. — Et humanum genus a paradisi gaudiis expulsum, *vim contemplationis* perdidit, robur conditae fortitudinis amisit. — Aquila alto valde volatu suspenditur, et adnisu praepeti ad aethera libratur; sed per appetitum ventris terras expetit, seseque a sublimibus repente deorsum fundit. Sic humanum genus in parente primo ad ima de sublimibus corruit, quod nimirum *conditionis suae dignitas in rationis celsitudine* quasi in aëris libertate suspenderat; sed quia contra praeceptum, cibum vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit; et quasi post volatum carnibus pascitur; quia illa *libera contemplationis inspiracula* perdidit, et deorsum corporeis voluptatibus laetatur.“ IX. 50. „Duris taciti quaestionibus urgemur, cur omnipotens Deus condidit quem periturum esse praescivit? cur is, qui summe potens et summe bonus est, nequaquam voluit hominem talem facere, qui perire non posset? Quum vero haec tacita mens interrogat, pavet, ne ipso interrogationis ausu in superbiam erumpat: seque humiliter comprimit, et cogitationes restringit. Sed eo gravius affligitur, quo inter mala quae sustinet, etiam de *conditionis suae abscondito intellectu* cruciatur. — Mens valde affligitur, quoniam primae culpae merito ad *intelligenda ea quae de ipsa sunt* caecatur.“ 51. *Ad supernam lucem intuendam* homo conditus fuerat.“ In Evangg. hom. XXXI. §. 7.

Quamobrem Gregorius, eodem fere modo, quo Augustinus, deliciarum, maxime spiritalium, quibus Adamus in paradiso fruebatur, mentionem facit. „Has“ (spiritales) „homo *delicias* tunc amisit, quum in paradiso peccavit; extra exiit, quum os a cibo aeternae dulcedinis clausit.“ In Evangg. hom. XXXVI. §. 1. Conferantur quae de paradisi beatitudine et deliciis Augustinus in Opere imperf. I. 71. VI. 9. 17. 23. disputat.

§. 4.

C. Bonis moralibus primi hominis ante lapsum Gregorius adnumerabat liberum arbitrium plenum et perfectum, ita ut hominem in statu primitivo *bene servum* appellare non dubitaret. Nihilo secius liberum arbitrium identidem ita describebat, ut esset facultas peccandi et non peccandi. Homo primus *poterat non* peccare, sed non ita conditus erat, ut *non posset* peccare. Sin in statu primitivo perseverasset, *τὸ* non posse peccare ei ut praemium virtutis a Deo collatum esset.

Ad repugnantiam tollendam, quae inter enunciationes „homo in statu primitivo *bene servus* erat" et „primus homo *peccare poterat,*" intercedere videtur, est notandum, liberum arbitrium in utraqne enunciatione diverso sensu sumi. „Homo erat bene servus" id ad hominem spectat, si de statu ejus ante praevaricationem, in quo ab omni peccato liber erat, quaeritur, „primus homo poterat peccare" id ad hominem spectat, si de facultate, qua praeditus erat, quaeritur.

Loca praecipua, quae de libero hominis primi arbitrio agunt, haec sunt.

„Sic mortalis est conditus — ut — *ex merito liberi arbitrii* beatitudinem illius regionis attingeret, in qua — *peccare — non posset.*— Quietis silentium homo conditus habuit, quum contra hostem suum *liberum voluntatis arbitrium* accepit. Cui quia *sua sponte* succubuit, mox de se quod contra se perstreperet, invenit, mox in certamine infirmitatis tumultus reperit; et quamvis *in pace silentii ab auctore fuerat conditus,* hosti tamen *sponte* substratus, clamores de pugna toleravit." Mor. IV. 54. „Haec ipsa contrarietas culpae facta est homini pondus poenae; ut corruptioni suae male liber serviat, qui *bene servus de incorruptionis libertate* gaudebat." VIII. 52. „(Homo) ad hoc conditus fuerat, ut in caelestibus stare *potuisset.*" XVIII. 66. „Humanum genus Dominus in faciem monuit, quando in paradiso condito homini atque *in libero arbitrio stanti,* quid facere, quidve non facere deberet, indixit." Regula pastor. parte 3. cap. 28. „Creatis ceteris animalibus, homo prae cunctis elevatus fuit; quia et *libertate* exstitit *arbitrii*

praeditus, et rationis lumine illustratus." Explan. 5ti Psalmi poenit. §. 17.

Ante lapsum certamen carnis cum spiritu non erat. Caro spiritui erat subjecta, nec sensus aliquis voluptuarius membris ejus inerat. Sine veneris appetitu primi homines liberos procreaturi fuissent, si in obedientia erga creatorem permansissent. Ab omnibus animi perturbationibus liberi erant, dulcem igitur et quietam vitam degebant. Rectitudo sive justitia iis ingenita erat, sed quia *carnem* gestabant, infirmi aliquid habebant.

„Ipsa carnis suggestio quasi quidam clamor est contra quietem mentis, *quam ante transgressionem homo non sensit; quia nimirum quod de infirmitate posset tolerare, non habuit.* — Contempletur vir sanctus" (Jobus, cujus in sermonem commentatur Gregorius) „*in quanta cordis pace requiesceret*, si serpentis verba suscipere homo noluisset." Mor. IV. 54. „*Quietus homo possidere carnem potuit*, si bene ab auctore conditus possideri voluisset." VIII. 9. „Nuptiale foedus non exorbitat a fide. Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum et feminam in principio creavit. *Qui quidem sine peccato filios ederent, si in paradiso positi in conditoris obedientia perstitissent.* — Carnalis enim delectatio poena peccati est." Expos. Psalmi quarti poenitentialis (Psalmi XL.) §. 7. „Ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat. Erat quippe sensus carnis, sed turpis ac libidinosus non erat; quia statim ut ad culpam cecidit, pruritum membrorum sensit: quia *obedientem motum carnis* haberc non potuit, quando ipse Deo inobediens fuit." Lib. VI. in primum Regum Cap. III. §. 38. „Quia omnes in culpa ligamur, ipsa amissione *justitiae* morimur. — Prima stola est vestis *innocentiae, quam homo bene conditus accepit.*" — Mor. XII. 9. „In paradiso primum hominem a *justitiae culmine* inobedientiae culpa prostravit." III. 26.

Quamvis autem secundum Gregorium ante lapsum Adami caro spiritui esset subjecta, atque adeo homini de carne nihil esset, quod toleraret; caro tamen naturâ suâ, utpote terrena, infirmior erat spiritu. Angelorum natura Adami naturae hac ratione praestabat.

„Duas ad intelligendum se creaturas (Deus) fecerat, angelicam videlicet, et humanam. Utramque vero superbia perculit, atque a statu ingenitae rectitudinis fregit. Sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero *et spiritus est et caro.* Misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpae ex infirmitate aliquid constat habuisse; et eo altius debuit apostatam angelum repellere, quo quum a persistendi fortitudine corruit, *nihil infirmum ex carne* gestavit. Unde et recte psalmista quum misertum Redemtorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiae expressit dicens (78, 39.): Et memoratus est, quia caro sunt. Ac si diceret: Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit.“ Mor. IV. 8. „In *luteis* corporibus conditi sumus.“ Reg. past. parte III. admon. 13.

Imaginem Dei homini primo concreatam, quam a similitudine Dei non distinxit, ad bona moralia retulit, certe sensu spiritali cepit Gregorius.

Ad Jobi 38, 14. *Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum* haec affert: „Hominem Dominus, *quem ad suam similitudinem condidit, quasi quoddam suae potentiae signaculum fecit.* Quod tamen ut lutum restituetur; quia licet aeterna supplicia per conversionem fugiat, in ultione tamen perpetratae superbiae carnis morte damnatur. Ex luto quippe homo conditus, et *mentis acceptae ratione, similitudine divinae imaginis decoratus,* elatione cordis intumescens, quod de infimis formatus esset, oblitus est. Unde mirâ conditoris justitiâ actum est, ut quia per *sensum* intumuit, quem *rationabilem* accepit, rursus terra per mortem fieret, quam esse se considerare humiliter noluit: et quia peccando *Dei similitudinem* perdidit, moriendo vero ad limi sui materiam redit, recte dicitur: Restituetur ut lutum signaculum.“ Mor. XXIX. 21. Hic similitudo Dei in *mentis accepta ratione* ponitur. — Ad 1 Reg. 2, 36. de imagine Dei ita disputat: „In nummo *imago* Dei sculpitur, ut ejus esse cognoscatur, a quo formari praecipitur. Nummus itaque Dei, *similitudo* ejus accipitur. Unde in Genesi (1, 26) loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem et similitu-

dinem nostram. — Nihil ei (qui a peccati via venit) prodest, quod poenitendo compungitur, nec quod flendo confitetur, si inemendata et incorrepta, interius pulchritudine bonae voluntatis luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur. *Imago*, etenim *et similitudo Dei, est inclyto odio malum odire, et amore perfecto Deum diligere.*" Lib. 2dus in primum Regum Cap. 3. §. 26. Hìc imago et similitudo Dei in odio mali et perfecto Dei amore, atque adeo in perfectione *morali* ponitur. — „Qui *naturae rationalis dignitatem* contra auctoris nostri praecepta superbiendo perdidimus, per infusam cordibus nostris spiritus sancti gratiam, quam in nobis peccatum obscuraverat, *intelligentiae lucem* confessionis humiliatione *revocamus.*" Expos. Psalmi secundi poenit. §. 11. „Quoniam quidem ad naturae nostrae statum pietas divina vos revocat, et *similitudinis suae imaginem,* quam inobedientia destruxerat, benignitas salvatoris nostri in vobis reformat." cet. §. 13.

§. 5.

II. *De lapsu Adami.*

Primos homines, inductu et persuasu diaboli, qui serpentis speciem induerat, eosque spe fructus vetiti, cujus esu Dei similes futuri essent, fascinaverat, Dei praeceptum violando peccasse, Gregorius secundum sensum literalem Geneseos statuebat. Adami peccatum erat voluntarium, quum libero arbitrio gauderet. Peccatum autem ejus cum angelorum peccato non est comparandum, quum angeli modo spiritu, homines primi spiritu *et* carne constarent, angeli etiam sua ipsorum malitia caderent, homines primos autem aliena malitia prosterneret. Et homo et angelus de statu primitivo *superbiâ* cecidit, uterque Dei non justitiâ, sed potentiâ similis esse volebat.

„Quum primus homo *per satan* a Domino motus est, tunc est Dominus in homine secundo commotus. — Nisi enim Adam primum per *voluntarium vitium* in animae mortem traxisset (satan), Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariam non veniret." Mor. III. 26. „Mulierem *serpens,* ut perversa loqueretur, instigavit." III. 12.

„Postquam primam culpam mala suggestione intulit," (Leviathan i. e. diabolus, qui sub persona Leviathani apud Jobum intelligitur,) „hanc quotidie augere gravioribus persuasionibus non destitit. — Homines in paradiso immortales reperit; sed *divinitatem immortalibus promittendo, quasi eis aliquid ultra quam erant, se addere spopondit. Sed dum blande non habita se daturum perhibuit,* callide et habita subtraxit. Unde et eumdem Leviathan ita propheta describit dicens (Isai. 27, 1.): Super Leviathan serpentem vectem, super Leviathan serpentem tortuosum. Leviathan quippe iste in eo, quod se addere homini spopondit, tortuosis ad eum sinibus irrepsit; quia dum falso impossibilia promisit, vere et possibilia sustulit." IV, 15. „Tunc sibi contrarium Deus hominem posuit, quum homo Deum peccando dereliquit. *Serpentis* quippe *persuasionibus captus* hostis ejus extitit, cujus praecepta contemsit. Justus vero conditor hunc sibi contrarium posuit; quia inimicum *ex elatione* deputavit. — Salubrem humilitatis arcem (homo) deserens, ad infirmitatis jugum *superbiendo* pervenit, et cervicem cordis erigendo supposuit; quia qui subesse divinis jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit." VIII. 52. „(*Stolam innocentiae*) *homo male a serpente persuasus perdidit.* — *Patriam volens perdidit.*" XII. 9. „Quum nosmetipsos inspicimus bene conditos, sed *ad persuasionem diabolicum pestifera consensione deceptos,* in nobismetipsis attendimus aliud esse quod fecimus, aliud quod facti sumus; conditione nos integros, sed culpa vitiatos." XXIII. 43. „Culpam *serpens insidians* intulit, et *mulier infirmata* persuasit." XVII. 21. „*Ipse diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans,* sub captivitate sua hominem quasi juste tenuit, qui libero conditus arbitrio *ei injusta suadenti consensit.* Ad vitam namque conditus in libertate propriae voluntatis, *sponte sua factus est debitor mortis.*" 46. „Omnes nos *inimica illa persuasio* in culpae contagio ab ipsa radice polluerat" cet. XXIV. 4. „Quia *per oculorum visum carnem secuti sumus,* de ipsa carne, *quam praeceptis Dei praeposuimus,* flagellamur." 7. „Diabolus vel homo a statu conditionis propriae elata mente corruerunt. — Idcirco uterque cecidit,

quia esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit. Sed homo per gratiam liberatus, *qui Dei similitudinem perverse appetendo ceciderat,* in reatu *criminis sui* longe Deo imparem se esse cognoscens clamat: Domine quis similis tibi?" XXIX. 18. „Ex luto homo conditus — elatione cordis intumescens, quod de infimis formatus esset, oblitus est. — — (Terram) esse se considerare humiliter noluit." 21. In paradiso sano homini *diabolus invidens superbiae vulnus inflixit.*" XXX. 1. „Quia *originem* perditioni nostrae praebuit superbia diaboli, instrumentum redemtionis nostrae inventa est humilitas Dei. *Hostis* quippe *noster magnus* inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus." XXXIV. 54. „Adam intentionem persuasionis illius caute pensare neglexit; divinitatem quippe se per illum accipere credidit, et immortalitatem amisit." XXXIII. 45. „Devorator humani generis *dum se divinitatem homini addere spopondit,* immortalitatem sustulit. *Qui praevaricationis quoque culpam, quam primo homini propinavit,* dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, poenas eis sine cessatione coacervat." In Evangelia hom. XXV. §. 8. „Antiquus hostis quum robustum cor irrumpere non valet, subjunctas ei infirmas personas quaerit, et quasi contra alta moenia scalis appositis ascendit. Sic *Adam per subjunctam mulierem decepit.* — — Quia *originem perditionis* nostrae se praebuit *superbia diaboli,* instrumentum redemtionis nostrae inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus." Lib. V. epist. 18. „Conditoris sui mandata transgrediens, tanto gravius corruit (homo), quanto antequam caderet, altius stetit." Explan. quinti Psalmi poenit. §. 17. „Homo in Dei faciem terga dedit, quum *superbiens ejus jussa contemsit.*" Reg. past. parte 3. cap. 28.

Ceterum diaboli sub voce serpentis saepe mentio fit in scriptis Gregorii. *Antiquus serpens,* secundum Apoc. 20, 1., nominatur Mor. XVIII. 67. XXXIII. 37. Alio loco serpens, diabolus fallens diserte appellatur. „Qui ore *diaboli fallentis* audierant, Eritis sicut Dii, quia

Deo esse similes in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum Dominum sibi facere similem in culpa conati sunt." XXII. 30.

De eo quod intersit inter peccatum angelorum et peccatum primi hominis conferendus est locus §. 4to laudatus. „Est adhuc aliud," pergit ibidem, „quo perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit." Mor. IV. 8.

§. 6.

III. *De statu naturae corruptae per peccatum Adami.*

Adami lapsus non ipsi solum Adamo, sed etiam universo generi humano multum damni attulit. In Adamo enim praevaricante universum genus humanum praevaricavit, atque adeo non solum primus homo, sed etiam omnes ejus posteri poenis affecti sunt. Universum genus humanum per Adamum delinquentem infelix redditum est.

Ad Jobi verba (3, 11. 12.): „*Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* haec affert Gregorius: „His reprehensionum suarum vocibus *in parente primo se peccasse* redarguit (Job)." Mor. IV. 53. „Quia homo per mulierem culpae subditam nascitur, *reatus primi* infirmitas in prole propagatur. Et quia *in radice putruit humani generis ramus,* in conditionis suae viriditate minime subsistit." XVII. 21. „*In Adam primo homine a Deo recedente,* repulsi a paradisi gaudiis in hanc mortalis vitae aerumnam *cecidimus,* et quam *gravem culpam* serpentis suasione *commisimus,* poenae *nostrae* ultione (poena nostrae ultionis) sentimus. Hic enim *lapsi,* nihil extra Deum nisi quo affligeremur invenimus." cet. XXIV. 7. „*Humanum genus in Adam perierat.*" Lib. 2dus in primum Regum Cap. I. §. 15.

§. 7.

Mala, quae ut poenae ex Adami lapsu in universum genus humanum redundarunt, sunt

A. physica.

Ad haec referenda est amissio immortalitatis corporis.

Praeter loca superius excitata haec Gregorii sententia multis aliis locis affirmatur.

„Post poenam damnati peccatores nascimur, atque ad hanc vitam cum *mortis nostrae merito* venimus.“ Mor. IV. 45. „*Peccanti primo homini* dictum est: Pulvis es, et in pulverem reverteris.“ VIII. 57. „*Primae culpae merito* aeque (boni et mali) *ad carnis interitum* pertrahuntur.“ IX. 40. „Nos quia et a Deo mente recessimus, et *carne ad pulverem redimus,* poenâ duplae mortis adstringimur.“ 41. „Concessa prius in paradiso veste innocentiae nudamur; *interitu etiam carnis subsequente consumimur. Homo* itaque *peccator moritur in culpa,* nudatur a justitia, consumitur in poena.“ XII. 9. „Cadens (homo) allisus est; quia peccare non metuens, et pro salute infirmitates pertulit, et pro vita *mortem* suscepit.“ Explan. 5ti Psalmi poenit. §. 17.

Quum Gregorio corporis mortalitas primi peccati poena esset, qua universum genus humanum afficeretur, locutione „debitum vetustatis solvere“ pro voce „mori“ utebatur, et diabolus *mortis auctor* ab eo appellabatur.

„*Dum vetustatis debitum solvunt* (justi), novi jam muneris laetitia perfruuntur.“ Mor. XXIV. 34. „*Mortis auctor* ait: In caelum ascendam. (Isai. 14, 13.)“ XXXIV. 55.

Humanae item naturae „necessitates“ a Gregorio malis adnumerabantur, quae e lapsu Adami in genus humanum redundassent.

„Salubrem humilitatis arcem deserens (homo), ad infirmitatis jugum superbiendo pervenit, et cervicem cordis erigendo supposuit; quia qui subesse divinis jussionibus noluit, *sub suis se necessitatibus* stravit.“ Mor. VIII. 32. „Si subtiliter consideretur omne quod hîc agitur, poena et miseria est. Ipsi enim corruptioni carnis servire ad *necessaria* et concessa, miseria est: ut contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra aestum frigora requirantur. Quod multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, amissa cum gravi la-

bore reparatur, et tamen reparata in dubio semper est: quid hoc aliud, quam mortalis vitae miseria est?" XI. 66. „Natura humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriae voluntatis lapsa in calamitatem cecidit; quia *pressa innumeris necessitatibus*, nihil in hac vita, nisi unde affligeretur, invenit. — Quas necessitates cupiebat evadere, qui docebat (Psalm. 25, 17): De necessitatibus meis eripe me. Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere: et ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli quod *nolens ex radice tolerabat.*" XX. 28.

Molestiae denique ipsae, quibus corpus hîc premitur, corporis caducitas, aestus et frigus, fames et sitis, infirmitas, valetudo adversa, et innumerabiles vitae miseriae, Gregorio auctore, e lapsu Adami redundant, atque adeo flagella et supplicia primi peccati autumanda sunt.

„Ut taceamus hoc, quod dolores tolerat (corpus), quod febribus anhelat; sua quadam aegritudine constringitur ipsa haec nostri corporis quae salus vocatur. Nam otio tabescit, opere deficit; inedia deficiens, cibo reficitur ut subsistat: refectione lassescens, abstinentiâ relevatur ut vigeat: aquâ perfunditur, ne arescat: linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat: labore vegetatur, ne quiete torpeat: quiete refovetur, ne laboris exercitatione succumbat: fatigata vigiliis, somno reparatur: oppressa somno, vigiliis excutitur, ne sua pejus quiete lassetur: vestibus tegitur, ne frigoris adversitate penetretur: quaesito calore deficiens, aurarum flatu refovetur. Quumque inde molestias invenit, unde vitare molestias quaesivit, male sauciata, ut ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostra salus aegritudo est, cui curandi necessitas nunquam deest. Quot enim solatia ad vivendi usum quaerimus, quasi tot nostrae aegritudini medicamentis obviamus. Sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur: quia exquisito remedio paulo diutius inhaerentes, ex eo gravius deficimus, quod provide ad refectionem paramus. *Sic nimirum debuit praesumtio corripi, sic superbia sterni. Quia enim elatum semel*

spiritum sumsimus, ecce defluens quotidie portamus lutum." [19]) XIII. 53. „Dum repulsus homo et *a carne molestias*, et a mente quaestiones tolerat; grave nimirum pondus semetipsum portat. Undique languoribus premitur; undique infirmitatibus urgetur: ut qui relicto Deo se sibi ad requiem sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis invenitet, inventumque se fugere qnaereret; sed auctore contemto, quo se fugeret, non haberet." §. 55.

„In ipsa (carne) quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur, ut hic nobis mira dispensatione (dispositione) Dominus *in poenam verteret, per quod fecimus culpam*, nec aliunde esset interim *censura supplicii*, nisi inde fuerat *causa peccati;* ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione superbe (superbiae) pervenit ad mortem." XXIV. 7. „Innumeris humanum genus *carnalis vitae suppliciis* premebatur, sed Redemtore nostro veniente, et vitia corruptionis nostrae, et tormenta deleta sunt." 8. „Habemus compedes, *ipsam infirmitatem atque corruptionem mortalitatis nostrae.*" Homil. XII. lib. 1. in Ezech. §. 13. „Natura nostra *per lapsum primi hominis* sic damnata est, ut quotidie labendo deficiat, et deficiendo veterascat." Lib. IV. in prim. Reg. Cap. 5. §. 18.

§. 8.

B. Mala, quae cognoscendi vim spectant.

Hominis menti caligo obducta est et puram Dei cognitionem amisit. Quod Adamus, postquam deliquerat, se sub arboribus abscondebat, documento est, mentem ipsius vigorem primitivum perdidisse. Alioquin sibi non persuasisset, hominem se oculis ejus abscondere posse, qui animi interiora perspicit. — Spes frustrata, laetitia spiritalis extincta, timor, rerum mutabilium amor, irae et studii mutabilitas, in addiscendis literis molestia et saepe labor inanis, oblivio eorum, quae cum labore memoriae

19) Secundum Paterium: *defluentem quotidie portamus luctum.* Sed altera lectio sensum idoneum praebet, quum lectio a Paterio exhibita sensu omnino destituta esse videatur.

mandavimus, error, taedium, omnia igitur haec mala e lapsu Adami secundum Gregorium pullulabant, et universum genus humanum afficiebant. Vitam ergo humanam praesentem *caecitatis* exilium appellat, in quod homo in lapsus poenam e paradisi gaudio detrusus sit.

„Superna gratia ab *originali caecitate* hominem ad intellectum reformat. Nam quia a paradisi gaudiis expulsum in hoc jam exilio natura edidit, quasi a nativitate homo *sine oculis* processit. — Divinitatis contemplatio sensum tangit, sed plene mentem non reficit; quoniam perfecte animus conspicere non valet, quod adhuc quia *caligo corruptionis* praepedit, raptim videt.“ Mor. VIII. 4o. „*Nox illa,* videlicet consensus ad culpam, *quae ad nos primi parentis est excessu propagata, mentis nostrae oculum tanta obscuritate* perculit, ut in hujus vitae exilio, caecitatis suae tenebris pressus, quantalibet vi aeternitatis lumen intenderit, penetrare non possit. — Quum ad supernae lucis radium aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostrae obscuritate caligamus. Multi — — quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant; nimirum constat, quia dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, aeternum bonum, sicut est, videre nequaquam possunt. — Saepe ita mens accenditur, ut quamvis in carne sit posita, in Deum tamen omni subjugata carnali cogitatione rapiatur; nec tamen Deum sicut est conspicit, *quia hanc nimirum in carne corruptibili pondus primae damnationis premit.*“ IV. 45.

„Inter opaca nemorum latere voluit (primus homo), ut ex hoc quoque patenter ostenderet *quas caecitatis umbras* interius pertulisset. Si enim in umbra non esset, Deum esse localem non crederet, nec ab ejus oculis putaret se abscondi, a quo sciret etiam cordis occulta videri. Quaesivit ergo umbram corporis, qui prius *incurrit umbram mentis.* — Amoris refriguit incendium, *caligavit claritas*, defecit visio.“ Explan. quinti Psalmi poenit. §. 18.

„Ipsa mens nostra a secreti interioris securo gaudio exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo dolore dejicitur, modo falsa hilaritate relevatur; transitoria pertinaciter diligit, eorumque amissione

incessanter atteritur, quia et incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, et a semetipsa variatur. Nam quaerens quod non habet, anxia percipit; quumque hoc habere coeperit, taedet hanc percepisse quod quaesivit. Amat saepe quod despexerat, despicit quod amabat. Cum labore quae aeterna sunt discit; sed horum repente obliviscitur, si laborare desierit. Diu quaerit, ut parum quid de summis inveniat; sed ad consueta citius relabens, nec parum in his quae invenit, perseverat. Erudiri appetens, vix suam ignorantiam superat; sed erudita, gravius contra scientiae gloriam pugnat. Vix carnis suae sibi tyrannidem subjicit; sed tamen adhuc intus culpae imagines tolerat, cujus jam foris opera vincendo restrinxit. In auctoris sui inquisitione se erigit; sed reverberatam hanc, corporearum rerum amica caligo confundit." cet. Mor. VIII. 54. „Seclusum ab internis gaudiis genus humanum, *exigente* culpa, *mentis oculos perdidit;* et quo meritorum suorum passibus graditur, *nescit.* Saepe enim donum gratiae est, quod iram deputat; et saepe divinae districtionis ira est, quod gratiam putat. — Homo ab aeternis gaudiis semel expulsus — dicat: Postquam semel sponte oculos perdidi, quoniam quaesitae noctis caecitatem patior, nec ortum jam, nec occasum solis agnosco. — Homo, qui infirmitatis poenâ premitur, *caecitatis suae caligine* gravatur" etc. IX. 20. „Ex poena culpae est, videre bonum quod agere debeat, et tamen implere non posse. Et rursum *ex graviori poena culpae est, quod agere debeat, nec videre.* Unde et contra haec utraque psalmistae (27, 1) voce dicitur: Dominus illuminatio mea, et salus mea. Contra ignorantiae enim tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando et ostendit quid debeat ad agendum perpeti, et vires praebet ut quod ostenderit, possit impleri." XIV. 41. „Qui illuminati agere recte noluerunt, *juste caecati* adhuc faciunt unde amplius puniri mereantur." XXV. 23. „Recta mens staret, si non se innumeris motibus fluxa mutabilitate prosterneret. Sed dum nunc ista pertractat, nunc ad alia dilabitur, quasi per locorum multitudinem ab statu suae rectitudinis inclinatur; et dum per plura se tendit, ab una, cui adhaerere debuit, intentione se dejicit. *Qui*

tamen mutabilitatis usus ex primae praevaricationis vitio jam quasi in naturam venit. — Delectationis avida, quaerit quo pauset; unum vero quem sufficienter habere poterat" (Deum) „amisit. Unde nunc per multa ducitur; ut quia qualitate rerum non potest, saltem varietate satietur." XXVI. 79. „*Ex typo humani generis* per psalmistam (58, 7) dicitur: *Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque.* Contemplatus namque, quod ad supernam lucem intuendam homo conditus fuerat, sed peccatis exigentibus foras missus, mentis suae tenebras portat, superna non appetit, infimis intendit, caelestia nequaquam desiderat, terrena semper in animo versat; et hoc quod se suo genere doluit, in se ipso exclamavit, dicens: Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque. Contemplationem namque caelestium perdens, si sola carnis necessaria homo cogitaret, incurvatus et humiliatus esset, sed tamen *usquequaque* non esset. Quem ergo a supernis cogitationibus non solum necessitas dejicit, sed etiam voluptas illicita sternit, non solum incurvatus, sed usquequaque incurvatus est." In Evangg. hom. XXXI. §. 7.

„Nos nati in hujus peregrinationis aerumna, huc fastidiosi jam venimus, nec scimus quid desiderare debeamus; tantoque se amplius fastidii nostri morbus exaggerat, quanto magis ab usu illius dulcedinis animus elongat; et eo jam internas delicias non appetit, quo eas comedere diu longeque desuevit. Fastidio ergo nostro tabescimus, et longa inediae peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram." In Evangg. hom. XXXVI. §. 1.

Praesentis autem vitae exilii, in quod homo post lapsum detrusus sit, in Gregorii scriptis saepe mentio fit. Praesentem vitam „aerumnosum exilium" noster appellat, eamque his verbis depingit. „Homo ex paradiso pulsus veras *interni* gaudii divitias amisit. Electi quique incessanter conspiciunt, quod in praesentis vitae penuriam ab illa potestatis ingenitae facultate ceciderunt. — Quisquis haec adhuc visibilia appetit, peregrinationis suae malum non intelligit." Mor. XXXIV. 5. „Quod amissa caelesti patria repulsus homo delectatur *exilio*, gravatur curis; quod privatus est interno lumine, et tamen in hac vita diu vult

perpeti caecitatem suam; quid hoc aliud quam de *poena nostra* nata miseria est?" XI. 66. „Illa percussione justi judicii Deus superbientem hominem a paradiso repulit, et in *hac caecitate praesentis exilii* exclusit. Per experimentum judicii, jam nos et *poena praesentis exilii* perculit, et si peccare non desistimus, aeternis adhuc suppliciis addicit." IV. 60. „(*Justorum mens*) luget, quae in *hujus caecitatis exilio a paradisi gaudiis cecidit*, timet ne et quum exilium relinquetur, mors aeterna subsequatur. Jam ergo sententiam tolerat *in poena;* sed minas adhuc venturi judicis formidat *ex culpa*." VII. 6.

§. 9.

C. Mala moralia.

Peccati adamitici poena moralis est peccatum, quo natura humana corrupta est, quod ab homine primo ad omnes suos posteros traductum est et manavit. Hoc est *peccatum originale*, *originalis culpa*, *noxa originalis, culpa tradux, culpa nobis insita naturalis, macula culpae nostrae.*

„Nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima *originalis peccati* vinculis est obstricta. Hinc scriptum est: Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram. Hinc David ait: In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea: Hinc ipsa Veritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum. Hinc Paulus Apostolus: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Cur ergo infans qui nihil egit, in conspectu omnipotentis Dei non valet esse mundus? Cur psalmista ex legitimo conjugio prolatus, in iniquitate conceptus est? Cur nisi qui mundatus aqua baptismatis fuerit, mundus non est? Cur in Adam omnis homo moritur, si originalis peccati vinculis non tenetur? Sed quia genus humanum in parente primo velut in radice putruit, aviditatem traxit in ramis: et inde *omnis homo cum peccato nascitur*, unde primus homo permanere noluit sine peccato." Lib. IX. epist. 52. „Quousque *poena corruptionis* astringimur, quamlibet

rectis operibus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur.“ Mor. XV. 57. „Aeterne omnipotens Deus, qui nobis a te conditam creaturam aquae in fide distinxisti; ut liquorem simplicem ad lavacrum, salsam soliditatem praeberes ad condimentum: quatenus et sordida possent ablui, et fatua imbui: quo et *noxa* tolleretur *originalis* etc. Quodque mysterialiter baptismo commodum, *culpae traduci* inimicum, sapientiae aptum, errori praestas adversum, sancti spiritus Tui sanctitate reddas sanctificatum.“ Lib. sacramentorum p. 148. (Parte prima T. III. Opp. Gregorii.) „Quia ex *originali culpa* fit peccatum motionis carnis, dum regem carnalem sensum attendimus, matrem ejus esse primam culpam recte nominamus. Liberi autem hujus matris sunt omnes concupiscentiae, peccata et vitia.“ Lib. VI. in primum Regum cap. II. §. 30. „Quum sic peccator convertitur, ut praeter *culpam nobis insitam naturalem*“ cet. §. 39. „Christum *macula culpae nostrae* non attigit.“ Mor. XXX. 66. „Ex illo lapsu primi hominis haec augmenta nequitiae ducimus, *ex quo ipsam radicem traximus culpae.* Sic namque ille, dum signum vetitum contigisset, abscondit se a facie Domini inter ligna paradisi. In qua absconsione, scilicet quia Deum latere non poterat, non latendi effectus describitur, sed affectus notatur.“ XXII. 30.

Peccatum originale a Gregorio libertatis moralis defectus describitur. Noster enim libertatem more Augustiniano interdum pro statu, in quo homo a peccatis vacuus est, sumsit. Hoc sensu solummodo ad male agendum nondum renatus homo liber est, quamobrem *male liber* a Gregorio appellatur. Peccati poena item est causa peccati, ita ut reatus poenâ ipsâ augeatur.

Hominem *„male liberum“* a Gregorio Mor. VIII. 52. appellatum esse, jam supra (§pho 4ta) vidimus. In eundem sensum redeunt, quae aliis locis de libertate amissa a scriptore nostro disputantur. „*Nulla est libertas in culpa,* quia scriptum est: Ubi spiritus Domini, ibi libertas. Et plerumque perversae menti ipsa sua culpa fit poena.“ XV. 25. „*Ex peccato primi parentis accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus,* sed aut contra Deum, *nobis* bonum quod fecimus impu-

tando, erigimur, aut contra proximos in superbiam levamur." Explan. quinti Psalmi poen. §. 16. — „Cor Dominus prioribus meritis aggravatum, juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli; *quod quum digne in culpa trahitur, reatus ejus in poena cumulatur.* — Plerumque unum *idemque peccatum*, et *peccatum est*, et *poena peccati*, et *causa peccati.*" Haec a Gregorio exemplo quodam illustrantur. „Effrenata ventris ingluvies, in fervorem luxuriae plenitudinem carnis instigat; perpetrata autem luxuria saepe aut perjurio aut homicidio tegitur, ne humanarum legum ultione puniatur. Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxavit, qua voracitate superatus, adulterii facinus admisit; deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulterae, ne ad judicium traheretur, occidit. Hoc itaque adulterium inter voracitatem et homicidium positum; de illa videlicet nascens, hoc generans, *peccatum est, et poena, et causa peccati.* Peccatum est per se ipsum; poena vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit; causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Unum ergo idemque peccatum est, et poena praecedentis, et causa culpae subsequentis; quia et transacta dum exaggerat, damnat; et adhuc sequentia, quae damnari debeant, seminat." Mor. XXV. 23. 24. Conf. §. 22., ubi docet, peccatores interdum *caecitate* puniri.

§. 10.

Corruptionis moralis sedem et in animo et in corpore statuebat Gregorius.

Corruptionis sedem Gregorium *animum* habuisse, ex loco quodam, sive historiam Pelagianismi, sive scriptoris nostri doctrinam spectas, gravissimo, nempe L. VII. epist. 34., apparet.

Haec epistola scripta est Eulogio, episcopo Alexandrino, et Anastasio, episcopo Antiocheno, locusque, qui in disputationem nostram cadit, de Isauriae monachis inique de Pelagiano errore damnatis his verbis agit.

„Ante triennium, cogente causa monachorum Isauriae, qui haeretici accusabantur, satisfaciens mihi quondam frater et consacerdos meus

domnus Johannes" (episcopus Constantinopolitanus) „literas misit, quibus nitebatur ostendere, eos Ephesinae synodi definitionibus contradixisse; et velut ex eadem synodo certa nobis, quibus ipsi obsisterent, capitula destinavit. Inter alia scriptum illis continebatur de Adae anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur; et si quis hoc dixisset, anathema esset. Quae quum mihi relecta fuissent, valde contristatus sum. Si enim Adae, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito ei dictum est: In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini? Et certe comedit Adam et Eva de ligno vetito, et tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit qua die comederet, moreretur. Sed absit hic error, absit a vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccavit, anima mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis et corruptionis poena damnatum. Per secundum vero hominem, et modo a morte animae, et postmodum ab omni corruptione carnis in aeterna resurrectione liberari nos posse confidimus. Sicut autem et praedictis responsalibus" (sive apocrisiariis Constantinopolitanis, quorum mentionem Gregorius fecerat) „diximus, non a substantia vivendi, sed a qualitate vivendi. Quia enim aliud est substantia, atque aliud qualitas, non est ejus anima ita mortua, ut beata non esset. Qui tamen Adam postmodum per poenitentiam ad vitam rediit."

Ex hoc loco apparet: 1) monachos quosdam Isauriae aut, secundum alios scriptores, Lycaoniae (Isauria et Lycaonia propter vicinitatem facile confundi poterant), quia decretis, quae ferebantur, synodi Ephesinae contradixissent, a Joanne, episcopo Constantinopolitano, haereticos habitos esse. Joannes autem se ab haeresi Pelagiana non omnino liberum praestabat, id quod de Graecis quam plurimis constat; et historiae ecclesiasticae artisque criticae non satis peritus erat, quippe qui supposititia et haeretica pro genuinis Ephesinae synodi actis imperite laudaret.

Decreta enim, quae perhibebat esse synodi illius oecumenicae tertiae, *Pelagianorum* dogmata continebant, et capitula illa a partibus eorum, qui in concilio Ephesino Nestorio favebant, quibus Joannes Antiochenus praeerat, proficiscebantur.[20]) Id quod ex lib. IX. epist. 49. colligere licet. Ibi, ut errori occurratur, Anastasio Antiocheno episcopo Gregorius suadet, in scriniis praecipuarum ecclesiarum, Romanae, Alexandrinae, Antiochenae, genuina Ephesinae synodi acta perquiri. Monachi vero illi pro causa Augustiniana, quam defendebant, haereseos crimen incurrebant.

---

20) Nestorianos et Pelagianos cognationis quodam vinculo contineri, quamvis Nestorius ipse Pelagianam doctrinam refutasset, et quae *obtrudebatur* Nestorio haeresis multis stadiis ab ea, quam Pelagiani profitebantur, discederet, severius historiae ecclesiasticae studium docet. Joannes Antiochenus enim, Leporius, alii, et Nestorianae et Pelagianae doctrinae favebant. Quamobrem Scythici monachi, qui haeresin, quam perhibebant esse Nestorianam, fanatico furore exagitabant, Semi-Pelagianismum Gallorum exstirpare velis remisque contendebant. Conf. Pragmat. Darstellung etc. T. II. Cap. 19. p. 394 seqq. Ac re vera cognatio quaedam interior inter Pelagianam et, quae ferebatur, Nestorianam haeresin intercedit. Si enim divinitatem Christi ab ejus humanitate ita disjungimus, ut alter sit filius Dei, alter filius hominis, illud *Leporianum*, hominem Jesum virtute sua meruisse, ut filius Dei unigenitus fieret, nasci debebat. Gregorius illud effatum Nestorio ipsi falso imputat. Conferantur quae Gregorius ad refellendum quendam haeresiarcham, sub qua voce Nestorium significabat, Mor. XVIII. 85. disputat. Is haeresiarcha dixisse ferebatur: „Non invideo Christo Deo facto, quoniam si volo, et ipse possum fieri. Qui Jesum Christum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per *profectum gratiae* Deum putavit: perversa allegatione adstruens, eum purum hominem natum, sed ut Deus esset, per meritum profecisse: atque ob hoc aestimans et se et quoslibet alios posse ei coaequari, qui filii Dei per gratiam fiunt. — Nec aequari potest gloriae Unigeniti habitae per naturam alia accepta per gratiam. Mediator quippe Dei atque hominum, homo Christus Jesus (1 Tim. 2, 5), non sicut iste haereticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est.“ In epistolis quoque, Nestorii ejusque haereseos Gregorius identidem mentionem facit, e. g. Lib. V. epist. 20. Lib. XI. epist. 67. epist. 74.

2. Placita, quae Gregorius in epistola laudata proponit, cum placitis Augustinianis maxime consentire ex eodem loco intelligitur. Primum enim hominem die, quo peccaverit, animo mortuum, et per eum omne genus humanum mortis et corruptionis poena damnatum esse, corruptionem autem ad substantiam hominis non pertinere, sed substantiae modo inhaerere etc., Augustinus ipse docebat. Conf. Pragmatische Darstellung etc. T. I. Cap. 5. p. 99 seqq. Adami item beatitudo ab Augustino cum tota orthodoxa ecclesia affirmabatur. Solummodo in verbis Gen. 2, 17. „Die quo ederis morte morieris" interpretandis Gregorius ab Augustino discessit. Gregorius enim illa verba modo ad mortem spiritalem, Augustinus autem de Civ. Dei XIII. 12. non solum ad mortem spiritalem et aeternam, sed etiam ad mortem temporalem referebat.

Cum loco laudato conferenda est lib. VI. epist. 14. ad Narsem comitem, qui Gregorii sententiam sciscitatus erat de codice quodam, in quo quaedam placita, quae ab Augustini sententia non omnino discedebant, ut haeretica notata erant. Gregorius refert: „Is, qui loca aliqua esse haeretica signo contra posito ostendit, ipse quoque in Pelagianam haeresin labitur: quia quaedam loca catholice dicta et omnino orthodoxa, velut haeretica annotavit. Hoc enim ubi scriptum est, quia quum peccavit Adam, ejus est anima mortua, qualiter mortuam dixerit, inferius ostendit: quia status sui beatitudinem amisit. Hoc quisquis negat, catholicus non est. Deus enim dixerat: Qua hora comederitis, morte moriemini. Quum ergo comedit de ligno vetito Adam, quia in corpore mortuus non est, novimus, quia post hoc filios genuit, atque annis multis vixit. Si itaque in anima mortuus non est, quod dici nefas est, ipse mentitus est, qui hunc praedixit, die qua peccasset, moriturum. Sed sciendum est, quia mors duobus accidit modis, aut absentia vivendi, aut a qualitate vivendi. In hoc ergo quod comedendo vetitum, ejus anima dicitur mortua, non absentia vivendi, sed a qualitate vivendi, ut postmodum viveret in poena, qui ad hoc creatus fuerat, ut beate viveret in laetitia. Hunc ergo locum, qni in eo codice, qui mihi a fratre meo Joanne episcopo transmissus est, annotavit haereticum, Pelagianus est,

quia sententia ista evidenter Pelagii est. Quam Paulus apostolus aperte in suis epistolis destruit. Quae loca epistolarum ejus singula dicere praetermitto, quia scienti loquor. Pelagius vero qui in Ephesina synodo damnatus est, ea intentione hoc dixit, ut ostenderet nos a Christo vacue redemtos. Si enim nos per Adam in anima mortui non sumus, quod dici nefas est, vacue redemti sumus." Adjiciuntur nonnulla de vitiatis codicibus recentioribus synodi Ephesinae.

§. 11.

Sed Gregorius non solum in animo, sed etiam in *corpore* corruptionis sedem collocabat. Peccatum enim Adamiticum eo auctore ad corpus quoque hominis corrumpendum magnum momentum habuerat.

„Posteaquam (homo) se sponte hosti subdidit, adstrictus culpae suae vinculis, in quibusdam ei etiam nolens servit, et clamores in mente patitur, quum *caro* spiritui reluctatur. An non clamores intrinsecus audiebat, qui pravae contra se legis verba tolerabat, dicens (Rom. 7, 23): Video etiam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis?" Mor. IV. 54. „Quae mutabilitatis sua onera quia volens (homo) expetiit, nolens portat. — Quum se erigere contra conditorem studuit, in semetipso protinus *carnis contumeliam* invenit." VIII. 8. „Homines justi, quamdiu in *hac carne corruptibili* mortaliter vivunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino non possunt; quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. 9, 15.)" XVIII. 71. „In illa sublimi visione diutius stare non potest anima, quae adhuc *ista corruptionis sarcina praegravatur*. Electa anima, infirmitate praegravante, a Dei contemplatione repellitur. Eum sensum, quem *carnis sarcina* ab aeternae lucis secreto retrahit, usque ad terrae infima (homo) non deponit." Lib. I. in primum Reg. Cap. 2. §. 15. „Conversio peccatoris vera tunc est, quum ad Creatoris nostri beneplacitum *uterque noster homo* reducitur, quum et *caro nostra* per iniquitatis odium cohibetur a perpe-

tratione facinoris, et per amorem justitiae mens se extendit ad intentionem bonae operationis.“ Lib. sec. in primum Reg. Cap. 3. §. 26. Gregorius ergo inter corpoream et incorpoream partem hominis distinguebat, et in utraque sedem corruptionis collocabat. „Non est in *carne* sanitas; quia *nulla pars nostri corporis intentata remanet*, per quam nos peccati desiderium non titillat.“ Explan. tertii Psalmi poenit. §. 8. Ne quis autem in hunc errorem abripiatur, corpus hominis modo corruptioni subjectum esse, Gregorius adjungit: „Qui dixerat (Psalm. 38. 8.): Non est sanitas in carne mea, ne forte in anima nihil pati putaretur, subjecit (9.): Afflictus sum, et humiliatus sum nimis. Ut intelligas in anima gravissimo iniquitatis pondere obrutum, quem in carne vides tot miseriis et passionibus afflictum. Peccatum enim sicut peccantis mentem retibus delectationum illaqueat, ita etiam implicitam quasi mole superposita gravat; ut ad sublimia levari jam non valeat, quoniam iniquitatis eam gravitudo coarctat, sicut per psalmistam dicitur: Filii hominum usquequo gravi corde? Plerumque enim et quae agenda sunt bona conspicimus, et ad haec assurgere cordis desiderio non valemus. Et si forte mens aliquando ad bonum anhelare inchoat, gravitas quam sustinet, cogit ut cadat; quia ex poena peccati est, ut a bono quod per rationis judicium clare conspicitur, per vitae meritum anima infirma pellatur.“ §. 9.

§. 12.

Quum etiam in animo corruptionis sedes, Gregorio auctore, esset, de origine animi humani quaestio praetermitti non poterat. Sed haec quaestio magis in transitu ab eo perstringebatur, quam satis accurate examinabatur.

Inter traducianismum, qui dicitur, et creatianismum Gregorius dubius haerebat, nec quicquam certi definire audebat.

In epist. 52. lib. IX. scripsit monacho Secundino: „Quaesisti, quid eis respondendum sit, qui dilectionem tuam de parvulorum animabus requirunt, qui sine gratia baptismatis moriuntur, dicens: Si corpus originali tenetur culpa, unde anima, quae a Deo datur“ (secundum crea-

tianismum) „rea erit, quae adhuc in actuali delicto corpori non consensit? Sed hac de re dulcissima mihi tua caritas sciat, quia de origine animae inter sanctos patres requisitio non parum versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit; eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quaestionem. Gravis enim est quaestio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur," (secundum traducianismum) „cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne, quae de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?"

Ex his apparet, Gregorium difficultates, quibus et traducianismus et creatianismus premeretur, probe intellexisse. Animi concretio (materialismus), quae satis arcto cum traducianismo vinculo cohaeret, Gregorium obstupefecit, eumque impedivit, quominus illi doctrinae calculum adjiceret, quamvis, quum *peccatum* ex traduce cum Augustino probare non dubitaret, — id quod deinceps videbimus — ad *animi* etiam generationem amplectendam, si sibi constare vellet, propensus esse deberet, idque etiam nonnullis locis non obscure significaret. „In lumbis", inquit, „carnalis delectatio continetur, et inde nimirum humana generatio propagatur. *Possum ergo per lumbos animam accipere;* quia sicut ex lumbis carnales delectationes prodeunt, ita ex anima omnes cogitationes procedunt." Explan. tertii Psalmi poenit. §. 8. — Creatianismus autem cum dogmate de peccato originali non recte consentire Gregorio videbatur. Nam si hominis animus a Deo creatore proxime prodit, quomodo peccati originalis particeps fit? Hoc si ponamus, a creatore ipso hominis corruptio repetenda esse videtur.

Utrum autem Gregorius ab omni materialismi affirmatione liberum se praestiterit, non ita est in promptu, ut res extra omnis disputationis aleam posita sit. Gregorium modo numen divinum ab *omni* concretione liberum habuisse, probabile fit. Angeli enim ei solummodo hominum ratione habita, *spiritus*, Dei autem ratione habita, *corpora* sunt. „In hoc est nunc natura angelica a naturae nostrae conditione distincta, quod nos et loco" (spatio) „circumscribimur, et caecitatis ignorantia coarcta-

mur; angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiae longe super nos incomparabiliter dilatantur. — Ipsi illorum spiritus *comparatione nostrorum corporum, spiritus sunt,* sed *comparatione summi et inconscripti spiritus, corpus.* Et mittuntur igitur et assistunt, quia et per hoc quod circumscripti sunt exeunt, et per hoc quod intus quoque praesentes sunt, numquam recedunt.“ Mor. II. 3. Alio quodam loco, nempe Dialogg. IV. c. 29., diabolus ejusque angeli, et spiritus hominis *incorporei* vocantur, et Mor. VIII. 54. de mente affirmatur: „Semetipsam qualiter *incorporea* corpus regat, intueri vult, et non valet. Requirit mire, quod sibi respondere non sufficit: et sub eo ignara deficit, quod prudenter requirit.“

Gregorius igitur plures immaterialitatis gradus sumsisse videtur, quo sumto immaterialitatis notio, si accuratius in rem inquiritur, prorsus tollitur.

§. 13.

Peccatum originale, Gregorio auctore, *generatione* propagatur.

„Omnis homo ab *origine jam vitiata* descendit.“ Mor. XIII. 50. „Nos etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur; quia *ipsa naturae corruptibilis conditione* constringimur, ut cum propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ut ipsam conditionem naturae corruptibilis vinceret, *ex commixtione carnalis copulae conceptus non est.*“ XVIII. 84. Ad loca scripturae sacrae, quae sibi invicem repugnare videntur, quum secundum alia liberi propter parentum peccata plectantur, secundum alia non plectantur, concilianda, Gregorius haec monet: „Peccatum originale a parentibus trahimus, et nisi per gratiam baptismatis solvamur, etiam parentum peccata portamus; quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum *non* reddit parentum peccata in filios: quia quum ab originali culpa per baptismum liberemur, jam non parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. — Deleto originali peccato,

ex parentum nequitia in *anima* non tenentur. Quid enim est, quod parvuli filii plerumque a daemonibus arripiuntur, nisi quod *caro* filii ex patris poena multatur? In semetipso enim percutitur pater iniquus, et percussionis vim sentire contemnit. Plerumque percutitur in filiis, ut acrius uratur; et dolor patris carni filiorum redditur, quatenus per filiorum poenas mens patris iniqua puniatur. Quum vero non parvuli, sed jam provectiores filii ex parentum culpa feriuntur, quid aliud aperte datur intelligi, nisi quod illorum etiam poenas luunt, quorum facta secuti sunt? Unde et recte dicitur: Usque ad tertiam et quartam progeniem, eam quam *imitantur* filii parentum vitam possunt videre, usque ad eos ultio extenditur, qui viderunt quod male sequerentur." XV. 57. Hac via locorum illorum repugnantiam tollere sibi videbatur Gregorius, qui sibi persuaserat, corruptionem hominis moralem generatione propagari. Quamobrem peccatum originale culpa *tradux* ab eo vocabatur. Conf. locus e libro sacrament. jam ad §. 9. laudatus.

§. 14.

Ex hac de peccati originalis propagatione sententia, *concupiscentia* in generando ut impurum aliquod a primi hominis peccato profectum Gregorio sese offerre debebat.

„Homo in corruptibili carne vivens, habet tentationum *immunditias impressas in semetipso;* quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quoque *propter delectationem carnis* ejus conceptio immunditia est. Unde nunc per psalmistam dicitur: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea. Hinc est ergo quod plerumque tentatus et nolens; hinc est quod *immunda quaedam* in mente patitur, quamvis ex judicio reluctetur; quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autem occultae tentationis motus atque *immunditiam cogitationis* evicerit, nequaquam sibi suam munditiam tribuat; quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is, qui mundus per semetipsum solus est." Mor. XI. 70. „Postquam semel hominis spiritum superbia cepit,

mox se ad *corruptionem carnis* extendit. *Quod in ipsis quoque hominibus primis agnoscimus,* qui dum post perpetratam superbiam *membra contegunt,* patenter indicarunt, quia postquam apud semetipsos intus arripere alta conati sunt, mox *in carne foris erubescenda* pertulerunt." XXXII. 21. Verba illa *πολυθρύλλητα* (Psalm. 51, 7): Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, ita interpretatur Gregorius: „Opus est, Domine, ut miserearis; quia ab ineunte vitae primordio in peccati foveam incidi, et *concupiscentiae carnalis sordibus* inquinata nativitatis meae initia contraxi. Non in me illa, quam noviter admisi, sola viget iniquitas; habeo in me etiam ex veteri quod ignoscas. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum." Explan. Psalmi quarti poenit. §. 7. Ibidem eodem modo, quo Augustinus, occurrit illi argumentationi, qua Pelagiani Augustinum impugnaverant, nuptias etiam, si conceptio immunda esset, immundas esse debere, atque adeo eas improbandas esse, quamvis Pelagianorum non diserte mentionem faceret. „Non ideo," inquit, „homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit conjugibus commisceri: hoc enim opus castum non habet culpam in conjuge, quia nuptiale foedus non exorbitat a fide. Deus enim copulam maritalem constituit, quando masculum et feminam in principio creavit. Qui quidem sine peccato filios ederent, si in paradiso positi, in conditoris obedientia perstitissent. Sed quia a statu rectitudinis primus homo peccando corruit, peccati poenam ad filios misit. Carnalis enim delectatio poena peccati est, quae ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus absque illa in mundo generetur." Cum his conferenda sunt quae alio loco disputat Gregorius. „Quae est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa? — Culpa ergo originalis mater *contumeliosi* sensus carnis recte intelligitur, quia ex illa nascendo prodit, qui esse ab illa coepit. Unde et apostolus quasi severissimi tyranni legem carnalis sensus exhorrens, non solum ipsum regem, sed matrem ostendit, dicens: Itaque jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Peccatum namque, quod se non operari perhibuit, mo-

tum carnis intellexit; peccatum autem in se inhabitans, originalem culpam.“ Lib. VI. in primum Regum Cap. 2. §. 38.

§. 15.

Quum peccatum originale *generatione*, Gregorio auctore, propagetur, nemo hominum ab eo est immunis. Christus solus, qui ex semine immundo non conceptus erat, ab omni peccato liber erat.

Gregorio itaque peccatum in hoc corruptibili corpore *necessarium* esse videbatur. Dictum Paulinum Rom. 6, 12: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, excitans monuit: „Peccatum in mortali corpore non *esse*, sed regnare prohibuit (apostolus); quia in carne corruptibili non regnare potest, sed *non esse non potest.*“ Mor. XXI. 7. „Adhuc carnis corruptibilis pondere gravati *nequaquam valemus* sic vivere, ut nulla nos possit culpae delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud consentientem animum perimi.“ 12. „*Esse a culpa liberi nequaquam possumus*, quousque in corpore mortis tenemur.“ VIII. 56. „*Nullus erat*, qui apud Deum pro peccatoribus loquens, *a peccato liber appareret;* quia ex eadem massa editos, aeque *cunctos* par reatus involverat.“ XXIV. 4. „*Nullus homo sine peccato est*, nisi ille qui in hunc mundum non venit ex peccato.“ XII. 9. „A delicto mundus *nemo* reperitur.“ XV. 54. „*Nemo hominum* in hoc mundo sine peccato est.“ Lib. VII. epist. 30. „Quis homo sine peccato est, nisi ille qui in peccatis conceptus non est?“ Hom. IV. lib. II. in Ezechiël. §. 17. „Nemo sine peccato, nisi solus Deus. — Conversi peccatores sanctorum praedicatorum consilio fortia quaeque peccata, et vitia deserunt, sed *nullum peccatum aut vitium habere non possunt.* Possunt cavere crimina, sed omnia *non possunt* vitare peccata.“ Lib. V. in primum Regum cap. 4. §. 43. „Sine peccato electi etiam viri esse *non possunt.*“ Lib. II. iu primum Regum cap. 1. §. 14. „Constat quia omnes, qui de carnis delectatione concepti sunt, in eorum procul dubio vel actione, vel locutione, vel cogitatione aliquid suum princeps hujus mundi habuit.“ Hom. XXXIX. in Evangg. §. 8.

§. 16.

Propter peccatum originale, quod generatione in omnes homines traducitur, omnis homo aeternae damnationis poenae obnoxius est, a cujus *reatu* inde a Christi temporibus baptisma solummodo liberat, quamvis peccatum originale *actu* in baptizatis remaneat; per vetus testamentum liberabant circumcisio, quae baptismatis locum tenebat, sacrificia, et fides in Christum venturum. *Christianorum* parvuli non baptizati propter peccati originalis reatum aeterna damnatione puniuntur, secundum effatum illud Servatoris: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non habebit vitam aeternam.

„(*Justi*) pensant quanto *reatu* constricti sunt propriae infirmitatis. Enumerant mala proprii operis. — Hoc ipsum quoque quod juste videmur vivere, culpa est, si vitam nostram quum judicat, hanc apud se divina misericordia non excuset. — Apud Deum districte judicati, ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. — Ad poenam vita non sufficit, si hanc immanitas justae retributionis premit.“ Mor. VIII. 32. „Quisquis regenerationis unda non solvitur, *reatu* primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero *apud nos* valet aqua baptismatis, hoc egit *apud veteres* vel *pro parvulis sola fides*, vel *pro majoribus virtus sacrificii*, vel *pro his qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* Nam quia unusquisque cum primi parentis culpa concipitur, propheta testatur dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Et quia is, quem salutis unda non diluit, originalis culpae supplicia non amittit, aperte per semetipsam Veritas“ (i. e. Christus) „perhibet, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non habebit vitam aeternam.“ Praef. cap. 3. Mor. IV. Conf. Aug. epist. 187. cap. 1. „Una est ecclesia electorum praecedentium atque sequentium. — (Antiqui patres) exterius, sed tamen non divisi a sancta ecclesia fuerunt; quia *mente, opere, praedicatione,* ista jam fidei sacramenta tenuerunt. — Sicut enim nos in praeterita passione redemtoris nostri, ita illi *per fidem* in eadem ventura sunt salvati.“ In Ezech. lib. II. hom. III. §. 16. „Nonnulli prius a praesenti

luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona malave merita activae vitae perveniant. Quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant; et hîc ex proprio nihil egerunt, et illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est, corruptibiliter nasci; aliud, carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque aeterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur." (Gregorius ad verba loci interpretandi Job. 9, 17. alludit.) „Perpetua quippe tormenta percipiunt et qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Hinc namque scriptum est: Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram. Hinc per semetipsam Veritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Hinc Paulus ait: Eramus naturâ filii irae, sicut et ceteri. Qui itaque nullum proprium adjungens, ex solo originis reatu perimitur; quid iste in illo extremo examine, quanquam ad humani sensus aestimationem, nisi sine causa vulneratur? Sed tamen sub divina districtione justum est, ut propago mortalis, velut infructuosa arbor, et in ramis servet amaritudinem quam traxit ex radice." Mor. IX. 32. „*Salutis undâ* a culpa primi parentis absolvimur; sed tamen reatum ejusdem culpae diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus." 54. Justorum veteris testamenti animi, priusquam Christus ad inferos descendisset, propter peccatum originale, Gregorio auctore, in inferni locis, quamvis sine tormento commorabantur. Haec sententia, quae a Gregorio originem duxisse videtur, ab eo his verbis proponitur. „Priores sancti — ab inferni locis liberari non potuerant, quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, ut eos, qui ibi tenebantur, ex culpa liberaret. In ipsis quoque inferni locis justorum animae *sine tormento* tenebantur, ut et *pro originali culpa* adhuc illuc descenderet, et tamen ex propriis actibus supplicium non haberent." XIII. 49. Conf. XII. 13. Ut argumentum biblicum afferret, exemplum Lazari et divitis viri ibi excitat. Hic illum non aspecturus fuisset, nisi uno eodemque loco cum eo commoratus esset. — „Descendens ad inferos (Jesus Christus), solos illos per suam gratiam

liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et praecepta ejus vivendo tenuerunt." Lib. VII. epist. 15.

Ceterum peccato τὸ esse abjudicabat Gregorius. „*Peccatum esse nullum habet.*" In primum Regum lib. V. cap. 4. §. 14. An his verbis gravior subsit sententia, qua Gregorius, more Augustiniano, significaverit, peccatum non ad hominis substantiam pertinere, quum omnis substantiae origo a Deo ejus auctore repetenda sit, sed aliquid accidentale, quod substantiae hominis inhaereat, in dubitationem cadit, quum Gregorius in hanc rem accuratius non inquisiverit. Secundum orationis seriem id noster hoc loco significasse videtur, peccatum vano et inani servire, atque adeo, quum vanum et inane modo speciem exsistendi prae se ferat, re vera non esse. Mala autem physica naturâ suâ non subsistere, alio loco diserte affirmat. Nam ad illud Isaiae 45, 7. *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans mala*, haec affert Gregorius: „Neque *mala, quae nullâ suâ naturâ subsistunt*, a Domino creantur; sed creare se mala Dominus indicat, quum res bene conditas nobis male agentibus, in flagellum format: ut ea ipsa et per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint; et per naturam, qua existunt, bona. Unde et venenum mors quidem est homini: sed tamen vita serpenti." Mor. III. 15.

§. 17.

Quamvis autem in Gregorii doctrina de peccato originali ejusque propagatione notiones Augustinianae ubique deprehendantur, multum tamen abest, ut doctrina Gregorii de corruptione morali mere Augustiniana sit, id quod ex ejus doctrina de gratia clarius etiam apparebit. Secundum scriptorem nostrum homo sensu morali non *mortuus* est, ita ut nihil nisi peccare possit, sed ille hominem sibi ut *aegrotum* fingebat, cui medicina gratiae divinae adhibenda est, et peccatum originale ei erat *infirmitas* naturae humanae. Hac ratione Gregorii doctrina erat Semipelagiana, et ab Augustiniana multum discedebat, quamvis Gregorius ipse hujus discrepantiae non omnino conscius esset.

Humanum genus, grandem aegrotum per totum mundum jacentem appellat. „Quia certum erat, quod per accessum temporum deficientis seculi languores excrescerant, actum est, ut aeterna Dei sapientia per semetipsam in fine seculorum veniret *ad grandem hunc et nimiae infirmitatis aegrotum,* id est *per totum mnndum jacens languidum genus.*“ Mor. XVIII. 73. Quod Gregorius de certamine carnis et spiritus affirmat, in animum revocant, quae Cassianus, Semipelagianorum facile princeps, in Collat. IV. 1. 2. de hac re exponit. Ratione enim habita illius dicti divini: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, haec affert Gregorius: „Aperte ergo Dei voce ostenditur, quia custos virtutis est *infirmitas.* Tunc quippe bene interius custodimur, quum per dispensationem tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. — Ad ima trahit caro, ne extollatur spiritus; et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis, caro aggravat ne extollamur in summis. Si non sublevante spiritu nos caro tentaret, perfectione procul dubio tentationis suae in ima dejiceret. Rursum vero si non tentante carne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiae casu ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine ut dum unusquisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum nec electionis incurrat: quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit: nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat, dum gravat. Sicque magno ordine cognoscimus in interiore profectu quid accipimus, in exteriori defectu quod sumus. Et miro modo agitur, ut nec de virtute quisquam extolli debeat, nec in tentatione desperare; quia dum spiritus trahit, et caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine, infra summa, et supra infima in quodam medio anima libratur.“ Mor. XIX. 12. Quae hîc de carnis et spiritus certamine profert Gregorius, cum absoluto defectu virium moralium et morte morali, quam Augustinus affirmabat, minime consentiunt.

§. 18.

Quae quum ita sint, mirari non licet, Gregorium liberi arbitrii, ea mente, qua est facultas volendi, saepe mentionem fecisse, eique partes aliquas tribuisse. Liberum arbitrium secundum scriptorem nostrum peccato originali quidem debilitatum, sed non prorsus exstinctum est. Homini igitur, quod nolit, vitio est vertendum.

„Adhuc carnis corruptibilis pondere gravati nequaquam valemus sic vivere, ut *nulla* nos possit culpae delectatio pulsare. Sed aliud est *nolentem* tangi, aliud *cvnsentientem animum* perimi.“ Mor. XXI. 12. „Quia cum culpa simul ab origine etiam poena propagatur, inserto *infirmitatis* vitio nascimur; et quasi nobiscum hostem deducimus, quem cum *labore* superamus.“ VIII. 8. „Qui nunc *sponte* ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur invite. — Illic invitus projicitur in noctem damnationis, qui hic *sponte* cecidit in caecitatem cordis.“ In Evangg. hom. XXXVIII. 13. „Tunc reprobi in exteriores tenebras cadunt; quia nunc in interioribus *sua se sponte* dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo nec bene operando sequerentur. In quibus ligatis pedibus et manibus mitti praecipiuntur; quia nunc dum tempus operandi atque currendi est, habere manus et pedes *liberos in bona actione noluerunt.*“ In Ezech. lib. I. hom. IX. §. 34. Ipsam conversionem quodammodo a voluntate hominis repetit. „Misericors Deus ad poenitentiam tempus nobis relaxat peccantibus; sed quum ejus gratiae patientiam nos ad augmentum vertimus culpae, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit, ut quum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti *voluisset.*“ In Ezech. lib. I. hom. XI. §. 25. „Sunt plerique, qui etiam post perceptum redemtionis auxilium, ad desperationis tenebras devolvuntur, et tanto aequius percunt, quanto et *oblata remedia misericordiae contemnunt.* — A conditore suo tanto tunc districtius in judiciis non cognoscitur (damnatus homo), quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona revocatur.“ Mor. VIII. 35. His et aliis locis quod nolit homini ut poena dignum

aliquod adscribitur, atque adeo liberum arbitrium ut concessum sumitur.

§. 19.

Magnum denique pretium, quod Gregorius bonis moribus et exercitiis monasticis tribuebat, cum Augustiniana doctrina de peccato originali, qua hominis meritum omnino tollitur, nullo modo conjungi potest.

Perfectio in requie, i. e. perfectio post hanc vitam secundum Gregorium perfectione in operatione i. e. operum perfectione in hac vita nititur. Mor. XIX. 17. Opus autem vere bonum modo ab eo perfici potest, qui ecclesiae catholicae sodalis est. „Una catholica ecclesia sola est, in qua opus bonum *fructuose* peragitur.“ XXXV. 13. — „Hoc secundum est, quod illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, *nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promoveatur.*“ Dialogg. lib. IV. cap. 39. Leviora enim peccata in hac vita nondum remissa secundum Gregorium purgatorio diluuntur. „Duobus modis sancti viri etiam a licitis abstinere solent. Aliquando ut *merita sibi apud omnipotentem Deum augeant,* aliquando vero ut anteactae vitae culpas detergant cet.“ Lib. XI. epist. 45.

Haec opinio de bonis operibus, e. g. eleemosyna, et de poenitentia *mercede dignis* in omnibus Gregorii scriptis deprehenditur. Quamobrem offendi non licet, si praecipit: „Dum per indulti temporis spatium licet, dum judex sustinet, dum conversionem nostram is qui culpas examinat, exspectat; confleamus in lacrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis. Et fidenter dico: *quia salutari hostia post mortem non indigemus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.*“ Dialogg. lib. IV. cap. 60. Eadem ratione eos carpit, qui „*fide sola* salvari aestiment, *per poenitentiam* revertere abjecti non curent.“ Lib. VI. in primum Regem cap. 2. §. 27. *Fidem* sensu historico Gregorius sumebat, ita ut fides ei esset mera convictio, doctrinam Christi esse veram. Gravis enim et profunda Pauli sententia de fide eum, sicut Augustinum, latebat. Poenitentiam autem cum conversione mentis conjungebat, vel potius mentis conversionem rem constituebat, qua poe-

nitentia contineretur. „Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter poenitente, videlicet, *conversio mentis*, confessio oris, et vindicta [21]) peccati. Nam, *qui corde non convertitur*, quid prodest ei, si peccata confiteatur?“ cet. §. 33. Eodem loco, Semipelagianorum more, *initium* bonae voluntatis homini his verbis adscribit. „Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem? Quum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, *per initium bonae voluntatis*, fructum habet bonae conversionis. — Qui corde ad justitiam non credit, confessionem ad salutem nequaquam facit; quia velut malae arboris folia ostendit, cujus altas radices figit in corde. Signum ergo verae confessionis non est in oris confessione; sed in afflictione poenitentiae. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, quum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. cet. Quasi arbor quippe bona voluntas est.“ Alio loco haec monet: „Unusquisque a conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide recedit, apostata est; ita qui ad perversum opus, quod deseruerat, redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate deputatur, etiamsi *fidem tenere videatur*. Unum sine altero nihil prodesse valet, quia nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant; sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis existeret. In Ezech. lib. I. hom. IX. §. 6. „Constat quia post incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, et *vitam fidei* non habent.“ Lib. VII. epist. 15. „Nemo sibi fidem sine operibus sufficere posse confidat, quum scimus quod scriptum sit: Fides sine operibus mortua est.“ Mor. XXXIII. 12. Conf. IV. 18.

---

21) Vindicta l. c. ex ecclesiastico loquendi usu Gregorio familiari pro satisfactione sumitur, quae vox paulo post ibidem legitur. Satisfactionis autem voce eo sensu utitur, quo peccatis commissis bono opere satisfit. Vid. de satisfactione Maximi praevaricatoris in append. ad epistolas Greg. VIII.

§. 20.

Ex locis laudatis apertum est, Gregorium, etsi fidem sensu historico sumeret, eam tamen cum bonis operibus arctissime conjunctam cogitasse. Id etiam ex multis aliis locis apparet.

„Qui imminere districtum judicem non credunt, qui inulte se peccare suspicantur, *quo pacto vel esse vel dici fideles possunt?* — Quia ergo digna fidei opera servare contemnunt, etiam fidem perdunt, quam tenere videbantur.“ Mor. XXV. 27. „Professionem fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant.“ XXVI. 50. „Quid prodest quod eidem redemtori nostro per fidem jungimur, si ab eo moribus disjungimur? Ipse etiam dicit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum. Recta ergo opera rectae fidei jungenda sunt.“ Hom. XXXIX. in Evangg. §. 9. „Ille vere credit, qui exercet operando quod credit.“ Hom. XXVI. in Evangg. §. 9. Quamobrem „*bonum vitae meritum*“ postulat, atque „*electos fidei meritum rectis operibus servare*“ perhibet Gregorius Mor. XX. 43. „*Vera* fides est, quae in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit (Tit. 1, 16): Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joannes ait (1 Joan. 2, 4): Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Quod quum ita sit, fidei nostrae veritatem in vitae nostrae consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideliter sumus, si quod verbis promittimus, operibus implemus.“ In Evangg. hom. XXIX. §. 3. „Constat quia post incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, et vitam fidei non habent; quia scriptum est: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et Joannes ait: Qui dicit quia novit eum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Jacobus quoque frater Domini scribit, dicens: Fides sine operibus mortua est.“ Lib. VII. epist. 15. „Si justi vita fides est, consequens est eamdem fidem esse justitiam, sine qua quisque esse justus non potest.“ Divina autem justitia, de Gregorii quoque sententia, ab humana diversa est. „Vel justitia Dei est, quod non vult

mortem peccatoris. Homini nempe justum videtur, ut suam ulsiscatur injuriam. Dei vero justitia est confitenti relaxare offensam." Explan. Psalmi quarti poenit. §. 18. „Justus esse non potest, qui *fidem* non habet *divinae incarnationis*." Lib. I. in primum Regum cap. 3. §. 7. Fides ergo hoc quoque in loco sensu historico sumitur.

§. 21.

Quum fidem sensu historico caperet Gregorius, opera etiam bona specie eorum externa metiri, et hac ratione eorum merita dijudicare debebat. Homo, eo auctore, id praestare debet, quod doctrina christiana praecipit. In officiis praestandis gratiae quidem divinae — id quod deinceps videbimus — Gregorius multum tribuit; sed haec de bonis operibus sententia, quibus homo bene meretur, cum Augustiniana doctrina de absoluta corruptione, qua homo nihil boni velle et facere potest, nullo modo concordat.

Cum hac bonorum operum secundum speciem eorum externam dijudicatione conspirant, quae Gregorius de externis poenitentiae signis perhibet, quibus peccata dilui possint. Hac ratione *satisfactionis* voce utitur. „Admonendi sunt qui peccata deplorant operum, ut *consummata mala perfecto diluant lamento;* ne plus astringantur in debito perpetrati operis, et minus solvant *fletibus satisfactionis.* Scriptum quippe est (Psalm. 80, 6.): Potum dedit nobis in lacrimis in mensura: ut videlicet uniuscujusque mens tantum poenitendo compunctionis suae bibat lacrimas, quantum se a Deo meminit aruisse per culpas." Reg. Past. lib. III. c. 29. Ceterum adjicit: „Admonendi sunt, ut incessanter admissa ante oculos reducant, *atque videndo agant,* ut a districto judice videri non debeant." Alio loco id inculcat, ut ex poenitentia vita proba prodire debeat, si quidem pretium ei tribuendum sit. „Si contigerit eadem, quae punierat (poenitentia), iterando peccata committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo. — Illos qui superbiendo *ad peccata redeunt, divina justitia respuit.* Illos vero qui continendo et hu-

miliando post tergum non respiciunt, clementia Dei non despicit." Expos. in Psalm. quart. poenit. §. 22.

§. 22.

Gregorium autem omnia quae statuebat cum doctrina, quam de ecclesia animo informaverat, arcte conjunxisse, inde etiam apparet, quod eadem ratione, qua bonum opus solummodo in ecclesia catholica salubriter peragi posse affirmabat, poenitentiae vim ad delenda peccata tum demum tribuebat, quum a sacerdote christiano praescripta sit. „Affectio poenitentiae tunc demum idonea est, quum *sacerdotis fuerit judicio impetrata,* quum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis." Lib. III. in primum Regum Cap. 5. §. 13.

§. 23.

Haec sufficiunt ad Gregorii doctrinam de statu naturae corruptae per peccatum Adami exponendam. Ex his disputatis illa doctrina ad haec capita revocari potest.

1. Per Adami lapsum multum damni in genus humanum invectum est. In primo homine peccante omnes ejus posteri peccaverunt, atque adeo simili modo, quo Adamus, praevaricationis poenas dant.

2. Mala, quae ex lapsu Adami in genus humanum redundarunt, sunt partim physica, partim spectant ad cognoscendi vim, partim sunt moralia.

3. Ad mala physica sunt referenda amissio immortalitatis corporis, eorum, quibus ad sustentandam vitam homo indiget (alimentorum, vestimentorum), necessitas, molestiae denique corporis, varii morbi, aestus, frigus, fames, sitis cet.

4. Malis, quae ad cognoscendi vim pertinent, adnumeranda sunt mentis caligo et purae cognitionis Dei amissio, laetitiae spiritalis extinctio, rerum mutabilium amor, in addiscendis literis molestia, et quae sunt similia.

5. Gravissima autem poena peccati Adamitici est poena moralis, id est peccatum originale, quo natura humana corrupta est.

6. Peccatum originale est quidam defectus moralis libertatis, quo homo, qualis nunc nascitur, si de libertate ut *statu* quaeritur, solummodo ad male agendum liber est. Si vero de libertate ut *facultate* volendi quaeritur, homo eâ in conditione sua hodierna utique gaudet. Liberum arbitrium hoc sensu solummodo *debilitatum*, sed non prorsus extinctum est. Corruptio igitur moralis non absoluto virium defectu (morte morali), sed *quadam aegritudine* cernitur, in qua homo, ut sanetur, medico indiget.

7. Peccatum originale generatione propagatur. Omnis igitur homo, Christo solo excepto, illi peccato atque aeternae damnationi, quae inde proficiscitur, nisi per Christum renascitur, obnoxius est.

§. 24.

Ex hoc nostra disputatione efficitur, Gregorium peccatum originale nullo modo eo sensu, quo Augustinus, cepisse, sed potius se, quamvis inscium, in Semipelagianam mediam illam viam abripi passum esse. Id clarius etiam apparebit ex Gregorii doctrina de gratia, et ratione, quae inter illam et liberum arbitrium intercedit.

Wiggers, Gustav Friedrich

DE

GREGORIO MAGNO

EIUSQUE

PLACITIS ANTHROPOLOGICIS

COMMENTATIONIS POSTERIORIS

PARTICULA SECUNDA.

SCRIPSIT

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS

RECTORIS ACADEMICI MAGISTRATU NUNC ABITURUS.

ROSTOCHII

TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXL.

§. 25.

IV. *De gratia divina ejusque ad liberum hominis arbitrium ratione.*

1. Gratiae divinae vim Gregorius non subtilius quidem definivit, sed ex iis, quae de illa perhibuit, ejus vocis usum apud scriptorem nostrum latissime patuisse efficitur, ita ut quidquid in homine boni sit non ad ipsum, sed ad divinam gratiam sensu latissimo referret. Nostra merita sunt Dei munera. Libero tamen hominis arbitrio partes suas semper tribuit.

„De semetipso (Paulus) loquitur (1 Cor. 15, 10), dicens: *Gratia Dei sum id quod sum.* Ex cujus nimirum aspiratione gratiae, quia virtutum opera protinus in corde generantur, ut ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam retributio aeterna respondeat, illico adjecit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.*" Pelagianis non obscure alludens pergit: „*Sed sunt nonnulli, qui sanos se suis viribus exultant, suisque praecedentibus meritis redemtos se esse gloriantur.* Quorum profecto assertio invenitur sibimetipsis contraria: quia dum et innocentes se asserunt, et redemtos, hoc ipsum in se redemtionis nomen evacuant. Omnis namque qui redimitur, ex aliqua procul dubio captivitate liberatur. Unde ergo quilibet iste redemtus est, si prius non fuit sub culpa captivus? Liquet itaque quia multum desipit quisquis haec sapit. Hominis quippe meritum superna gratia non ut veniat, invenit; sed postquam venerit, facit: atque et ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo, et facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc solum invenerat, quod puniret." Mor. XVIII. 63.

Haec Augustinianum quidem sensum sapere videntur, ipsaque dicendi forma est Augustiniana; sed quum modus non exponatur, quo Deus homines moveat, non certe definiri potest, utrum Gregorii verbis Augustiniana sententia subsit, an alio modo explicanda sint.

Alius locus fortiorem etiam *colorem* Augustinianum exhibet, sed, si accuratius in eum inquirimus, *sensum* non mere Augustinianum praebet, quum liberi arbitrii *cooperationis*, quae ab Augustini sententia mirum quantum recedit, mentionem injiciat.

„Libet," inquit Gregorius, „inter haec mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce diaboli ascendit crucem, de cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, et a patibulo qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed *internâ gratiâ* est mutatus in cruce: et ille qui mortem fratris intulit, morientis Domini vitam praedicavit, dicens: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. In cruce clavi manus ejus pedesque ligaverant, nihilque in eo a poenis liberum nisi cor et lingua remanserant. *Inspirante Deo* totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut juxta hoc quod scriptum est: *Corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem.* In corde autem fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, caritas.* Quas cunctas subita repletus gratia et accepit latro, et servavit in cruce. *Fidem* namque habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit; *spem* habuit qui regni ejus aditum postulavit, dicens: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. *Caritatem* quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem et collatronem pro simili scelere morientem et de iniquitate sua arguit, et ei vitam quam cognoverat, praedicavit, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem es condemnatione. Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia." Mor. XVIII. 64. Paulo post Pelagianorum iterum rationem habens ita pergit: „Sed *hi qui salvari hominem propriis viribus adstruunt*, eamdem confessionem hominis ab ipsius esse hominis virtute suspicantur. Quod si ita esset, in Dei laude Psalmista non diceret: Confessio et magnificentia opus ejus. Ab eo itaque recta confiteri, a quo nobis et magna datur operari. Quia ergo nil boni operis dedimus, quo hanc sapientiam percipere mereremur, dicatur recte:

Nescit homo pretium ejus: quoniam quisquis jam ratione utitur, tanto altius sub hujus sapientiae intellectu se despicit, quanto ejusdem sapientiae verius interna cognoscit, ut indignum se ad hanc pervenisse videat, per quam *gratuito agitur, ut dignus fiat.*" §. 65.

Quamvis Gregorius his locis gratiae divinae multum tribuisse, et Pelagianam doctrinam prorsus respuisse videatur, in eo tamen ab Augustini sententia recedit, quod liberi arbitrii usum in divina gratia accipienda non excludit. Nec id fit, quum ad illud Jobi (31, 18.): *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum* haec affert: „Miseratio etsi ejus fuerit arbitrii, ut cum ipso proficeret; liquet tamen, quia ejus arbitrii non fuit, ut *cum ipso* de utero exiret. Constat ergo, quia suae virtuti nil tribuit, qui profecto testatur, quia hoc ex conditionis munere accepit. Bonum igitur, quod a conditione habuisse se intimat, liquet procul dubio, quia ad laudem conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse ut pius esset, a quo accepit ut esset: quia sicut suo opere in utero conditus non fuit, ita nec sua virtute ab utero pius fuit." XXI. 28.

Gregorii sententia de divinae gratiae vi et natura clarius etiam elucet ex iis quae de ratione perhibet, quae inter gratiam divinam praevenientem et liberum hominis arbitrium intercedat.

2. Gratia divina *praevenit* et *subsequitur* hominem. Ad eum emendandum gratia Dei praeveniens est necessaria, liberum autem hominis arbitrium ei obsequi debet.

„Sin ad hoc salvari quisque hîc munditia manuum suarum creditur, ut suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur; quia *si superna gratia nocentem non praevenit,* numquam profecto inveniet quem remuneret innocentem. Unde veridica Moysis voce dicitur: Nullusque apud te per se innocens est. *Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus, agat nobiscum;* quod tamen per impensam gratiam" (ex lectione Alulphi: gratia) „in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac si solis praecessisset ex nobis. Quia enim divina nos boni-

tas, ut innocenter faciat, *praevenit*, Paulus ait: Gratia autem Dei sum id quod sum. Et quia eamdem gratiam *nostrum liberum arbitrium sequitur*, adjungit: Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: Non autem ego. Et tamen quia *se esse aliquid cum* gratia invenit, adjunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, si *cum praeveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet.* Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: Non ego. Ut vero *se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium* demonstraret, adjunxit: Sed gratia Dei mecum. Munditia itaque manuum suarum innocens salvabitur; quia qui hîc *praevenitur dono* ut innocens fiat, quum ad judicium ducitur, *ex merito remuneratur.*" Mor. XVI. 30. „Lumen Dei est *gratia praeveniens.* Quae si in nostro corde nequaquam gratuito consurgeret, profecto mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret." XVII. 20. „Quia *praeveniente divina gratia in operatione bona, nostrum liberum arbitrium sequitur,* nosmetipsos liberare dicimur, qui *liberanti nos Domino consentimus.* Unde Paulus, quum diceret: Abundantius illis omnibus laboravi; ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adjunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quia enim praevenientem Dei gratiam in se per liberum arbitrium fuerat subsecutus, apte subjungit, Mecum: ut et divino muneri non esset ingratus, et tamen *a merito liberi arbitrii non remaneret extraneus.* De hoc autem, qui liberatori suo semetipsum cognoscendo consensit, recte dicit (Job): Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum." XXIV. 24. Ad Jobi 41, 12. *Quis enim resistere potest vultui meo? et quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* haec monet: „Quibus duobus versibus et virtutem suae potentiae, et omne pondus rationis explevit. Nam propter potentiam dixit: Quis enim resistere potest vultui meo? Et propter rationem subdidit: Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? — Nemo ut divina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando praevenimus, ubi est quod Propheta ait: Misericordia ejus praeveniet me? Si quid nos bonae ope-

rationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Apostolus dicit: Gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus? Si nostra dilectio Deum praevenit, ubi est quod Johannes Apostolus dicit: Non quia nos dileximus Deum, sed quia ipse prius dilexit nos? Ubi est quod per Osee Dominus dicit: Diligam eos spontanee? Si sine ejus munere nostra virtute Deum sequimur, ubi est quod per Evangelium Veritas protestatur, dicens: Sine me nihil potestis facere? Ubi est quod ait: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum? Ubi est quod iterum dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos? Si saltem dona bonorum operum virtute nostra bene cogitando praevenimus, ubi est quod rursum per Paulum tam salubriter dicitur, ut omnis de se humanae mentis fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, quum dicit: Non quia sufficientes simus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est? Nemo ergo Deum meritis praevenit, ut tenere eum quasi debitorem possit; sed miro modo aequus omnibus conditor, et quosdam praeelegit, et quosdam in suis pravis moribus juste derelinquit." XXXIII. 38. Hac opportunitate data Gregorius etiam quaestionem attingit, quomodo justum sit, quod Deus in electis gratiam, in reprobis justitiam praevalere sinat, eamque ita, parum quidem idonee, dissolvere conatur: Deus electis etiam justitiam exhibet, quia eos in hac vita variis modis affligit, reprobis autem misericordiam, quia eos in hac vita poenis non afficit. „Nec tamen electis suis pietatem sine justitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit; nec rursum reprobis justitiam sine misericordia exercet, quia hic aequanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo et electi praevenientem se gratiam sequuntur, et reprobi juxta quod merentur, accipiunt; et de misericordia inveniunt electi quod laudent, et de justitia non habent reprobi quod accusent. Bene itaque dicitur: Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Ac si aperte diceretur: Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor; quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam caelestis patriae praemia aeterna percipiunt; *quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero*

arbitrio contemserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, quum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur" §. 39. In his igitur, Semipelagianorum more, libero hominis arbitrio gratiae salutiferae contemtus tribuitur. Paulo post Gregorius ita pergit: „Bonum quippe quod agimus, *et Dei est, et nostrum:* Dei per praevenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei gratias in aeternum agimus? Rursum si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod ejus munere praevenimur; et rursum, quia non immerito retributionem quaerimus, scimus quod obsequente libero arbitrio bona elegimus, quae ageremus." §. 40. „Miracula in manu nostri arbitrii non tenemus; nam talia facere non valemus. — Virtus patientiae, virtus misericordiae, *praecedente nos gratia,* et *in potestate est arbitrii,* et a periculo protegit adversitatis." In Ezechiëlem lib. II. hom. III. §. 23. „Praeveniente se gratia, mens hominis *spontanee* ad fructum boni operis assurgit." §. 5.

Ad hanc rationem, quae intercedit inter praevenientem Dei gratiam et liberum hominis arbitrium, rite declarandam saepe revertitur Gregorius, idque identidem inculcat, gratiam Dei nobis non propter merita nostra impertiri, illisque utpote conditionibus non adstrictam esse.

„Ne dari nobis bonum gratiae pro nostris praecedentibus meritis crederemus, Apostolus admonet, dicens: Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Qui etiam de semetipso ait: Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum. Quibus verbis aperte declarat, quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex se ipso docuit et quid de malitia meruit, et quid de benevolentia accepit." Mor. XXIII. 13. „Ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera *conari* quidem possumus, sed haec implere non possumus, si ipse non adjuvet qui jubet. Sic Paulus quum discipulos admoneret, dicens, Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini; illico quis in eis haec ipsa bona operaretur adjunxit, dicens: Deus est enim qui operatur

in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit: Sine me nihil potestis facere. Sed in his considerandum, quia sic bona nostra si omnipotentis Dei dona sunt, ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis aeternam retributionem quaerimus? Si autem ita nostra sunt, ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodo nostra sunt; bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra; quia ipse aspirando nos praevenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quae volumus. Praeveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens: Plus illis omnibus laboravi. Qui ne suae videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quia enim caelesti dono praeventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens: Non autem ego. Sed quia praeveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bonum, quo libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit: Sed gratia Dei mecum. Ac si diceret: In bono opere laboravi, non ego, sed *et* ego. In hoc enim quod solo Domini dono praeventus sum, *non* ego: in eo autem quod donum voluntate subsecutus, *et* ego. *His igitur breviter contra Pelagium et Caelestium dictis,* ad exponendi ordinem redeamus.“ In Ezech. lib. I. hom. IX. §. 2.

Hîc ergo Pelagianam doctrinam disertis verbis oppugnat, simul autem Semi-Pelagianam tuetur, dum liberi arbitrii cooperationem admittit.

3. Ut gratia Dei praeveniens necessaria est ad hominem e statu corruptionis liberandum, ita gratia *subsequens* ad bonum perficiendum requiritur. Homo sine gratia nihil valet.

„Eâ, quâ nos misericordiâ ad bene vivendum praevenit, etiam *subsequente* custodit. Nisi enim misericordiam subroget, servari non valet vita, quam praebet. Ipso quippe quotidie humanae vitae usu veterascimus, et exterioris hominis impulsu, cogitatione lubrica ab interioribus eximus. Et nisi nos superna visitatio vel ad amorem compungendo vi-

vificet, vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditus tota destruitur, quae longo virtutis studio innovata videbatur. — Humanum spiritum visitatio superna custodit, quum hunc virtutibus ditatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non desierit. Nam si dona praestat, sed hunc continue restaurando non sublevat, citius bonum perditur, quod non a largiente custoditur." Mor. IX. 81. „Sancti viri sciunt post primi parentis lapsum, de corruptibili stirpe se editos, et non virtute propria, sed praeveniente superna gratia ad meliora se vota vel opera commutatos: et quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum: quidquid vero in se boni inspiciunt, immortalis gratiae cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui et praeveniendo dedit eis bonum velle quod noluerunt, et *subsequendo* concessit bonum posse quod voluit." XXII. 20. „Ad bona assurgere perfecte non possumus, nisi nos spiritus et praeveniendo elevet, et *subsequendo* confortet. — Haec manus (unigeniti Filii), quae electorum suorum corda confortat, discipulis dicebat: Sine me nihil potestis facere. In omne ergo quod cogitamus, in omne quod agimus, semper orandum est, ut et ipso aspirante cogitemus, et *ipso adjuvante faciamus.*" In Ezech. lib. I. hom. X. §. 45. „Opus ex dono est, non donum ex opere; alioquin gratia jam non est gratia. Omne quippe opus dona praeveniunt, quamvis *ex subsequenti opere* ipsa etiam dona succrescunt." Dialogg. lib. c. 4. „Domine sancte: Cujus nos misericordia praevenit ut bene agamus; *subsequitur,* ne frustra agamus; accendit intentionem, qua ad bona opera peragenda inardescamus; *tribuit efficaciam, qua haec ad perfectum perducere valeamus.*" Lib. sacrament. prima parte T. III. Opp. p. 59. „Largire nobis, Domine, quaesumus, semper spiritum cogitandi quae recta sunt, propitius *et agendi,* ut qui sine te esse non possumus, *secundum te vivere valeamus.*" p. 124. „Quia minus est recte intelligere, nisi studeat quis recte intellecta morum honestate complere, adjungitur (Psalm. 32, 8): *Et instruam te.* Non te permittam perfunctorie voluntatis meae arcana cognoscere; sed *et hoc tibi conferam, ut etiam bonum quod intellexeris, peragas,* et qualiter id agen-

dum sit, cauta consideratione discernas." Explan. Psalmi sec. poenit. §. 11. „Primum humanis mentibus gratia spiritalis infunditur, postmodum vero in mente *quid spiritus egerit, in operibus demonstratur.*" §. 36. „Quasi terra sine aquâ, est anima sine gratia. Sicut enim terra, quae imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe; sic anima gratiâ carens non operitur virtutibus, non cogitat de caelestibus, non insistit utilibus. Vitiato namque in primo parente libero arbitrio, jam nec velle quidem bonum possumus, nisi illius gratia adjuvamur, apud quem gressus hominis diriguntur. Scriptum quidem est: Praeparatur voluntas a Domino. Et Dominus discipulis ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et Apostolus: Deus est, inquit, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate. Et iterum: Gratia Dei salvati estis, per fidem. Si ergo fidem sine gratia Dei nemo habet, *quis se facere fructum aestimet sine adjutorio illius* qui ait: Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat? Quicunque enim plantet aut riget; incassum vox correptionis exterius perstrepit, nisi ille incrementum dederit, sine quo nihil possumus facere." Explan. septimi Psalmi poenit. §. 7.

Homo igitur secundum Gregorii doctrinam sine gratia Dei nihil valet. Omnes virtutes, non solum quatuor cardinales, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, sed etiam ceterae, a Gregorio nostro ut dona spiritus sancti describuntur.

„Donum spiritûs, quod in subjectâ mente ante alia *prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam* format; eamdem mentem ut contra singula quaeque tentamenta erudiat, in *septem* mox *virtutibus* temperat; ut contra stultitiam, *sapientiam;* contra hebetudinem, *intellectum;* contra praecipitationem, *consilium;* contra timorem, *fortitudinem;* contra ignorantiam, *scientiam;* contra duritiam, *pietatem;* contra superbiam det *timorem.*" Mor. II. 77. „Sed nonnumquam, dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur, si continua in his securitate perfruitur, a quo sibi haec sint, obliviscitur; seque a se habere putat, quod numquam sibi abesse considerat. Unde fit, ut aliquando se haec

eadem gratia utiliter subtrahat, et praesumenti menti, quantum in se infirmatur, ostendat. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sunt, quando haec quasi amittendo, sentimus quia a nobis servari non possunt. — Confusionis eruditione sentimus, ne *nostris viribus consilia nostra tribuamus;* et tanto maturius ad gravitatem restringimur, quanto ad hanc quasi amissam redimus. Aliquando dum mens fortiter adversa contemnit, subortis adversitatis eventibus, hanc metus vehementer percutit. Sed per hunc concussa discit, cui tribuat quod in quibusdam fortiter stetit; et tanto post validius fortitudinem retinet, quanto hanc repente irruente formidine sibi jam quasi elapsam videt. Aliquando dum magna nos scire gaudemus, repentinae ignorantiae caecitate torpescimus. Sed quo ignorantiâ mentis oculus ad momentum clauditur, eo post ad scientiam verius aperitur; ut nimirum flagello suae caecitatis eruditus, et scire ipsum a quo habeat sciat. Aliquando dum religiose cuncta disponimus, dum pietatis viscera plena nos habere gratulamur, quadam mentis duritia irruente percutimur. Sed quasi obdurati cognoscimus, cui pietatis habitae bona tribuamus; et pietas verius velut extincta recipitur, dum quasi amissa amplius amatur.“ 78.

Quum septem illas virtutes a gratia Gregorius repeteret, non mirari debemus, eum *septiformis* gratiae saepe mentionem fecisse.

„Ecclesia universalis bona in se *septiformis gratiae* spiritûs continet.“ Mor. IX. 13. „Quid micantes plejades, quae et septem sunt, aliud quam sanctos omnes denuntiant, qui inter praesentis vitae tenebras, *septiformis spiritus gratiae* non lumine illustrant?“ XXIX. 68. „Per testamenti novi gratiam fideles suos Spiritus sanctus *septiformis* muneris lumine illustrat.“ 73. „Nullus vero hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei et hominum.“ 74. Si enim quis omnes has operationes simul habuisset, homo vere perfectus evasurus fuisset, id quod Gregorii doctrinae, qua nemo ab omni labe vacuus est, repugnabat. — „Per sancti Spiritus *septiformem gratiam* aditus nobis caelestis vitae aperitur. Quam *septiformem* gratiam Isaias in ipso nostro capite, vel in ejus corpore quod sumus, enumerans dicit (11, 2.):

Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Quos gradus, de caelestibus loquens, descendendo magis quam ascendendo numeravit: videlicet *sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem.*" Lib. II. hom. 7. in Ezech. §. 7.

4. Divina gratia vim habet et ad intellectum et ad voluntatem hominis. Verbum divinum est adminiculum, quo gratia vim suam adhibere *solet*, sed ei non adstricta est, sed etiam sine illo adminiculo vim suam exserere potest. Interior autem natura gratiae explicari non potest.

„Superna gratia carnalem cogitationem nostram *per admixtionem suae contemplationis irradiat*, et *ab originali caecitate hominem ad intellectum reformat.*" Mor. VIII. 49. Ad Jobi 10, 12. *Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me*, Gregorius haec affert: „Sicut lutum homo noster interior existit: quia sancti spiritus gratia terrenae *menti* infunditur, ut ad *intellectum* sui conditoris erigatur. *Humana* namque *cogitatio, quae peccati sui sterilitate aruit, per vim sancti spiritus, quasi irrigata terra viridescit.* Sed saepe dum perceptis superni doni virtutibus sine interruptione utimur, ad privatam fiduciam, usu continuae prosperitatis elevamur. Unde fit plerumque, ut isdem qui sublevaverat, parumper spiritus deserat, quatenus ipsum sibi hominem ostendat. Quod sanctus vir protinus exprimit, quum subjungit: Et in pulverem reduces me. Quia enim per subtractionem Spiritûs, mens aliquantulum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur: ut infirmitatem suam derelictus sentiat, et *sine infusione supernae gratiae, quantum homo aruit,* cognoscat. — Sed dum relicti concutimur, ea quae *afflati* cognovimus, subtilius jam *dona* cogitamus. — *Mens nostra per sancti Spiritus gratiam* ab usu vetustae conversationis abstrahitur. — Tendentem ad justitiam nequaquam in tentatione conditor deserit, qui per infusionem gratiae etiam peccantem praevenit; sed sublevatam *mentem* et ad bella exterius laxat, et interius roborat." IX. 80. „In his omnibus ipse nos instruat, qui propter nos homo factus est. Quid dignatus est fieri quod fecit, ipse et infirmitati meae, et tuae

caritati spiritum sui amoris infundat, atque in omni sollicitudine et custodia circumspectionis *oculum nostri cordis aperiat.*" Lib. XI. epist. 46. Qui „*acceptam ad adjutorium scientiam* negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt; et *de lumine intelligentiae* augent supplicia, quod profecto *acceperant* ut possent delere peccata." Reg. past. tert. part. admon. 32.

„Vires obtinendi prorsus indulget, qui *velle concessit.* Nam jam *hoc ipsum desideranter appetere, donum est.*" Lib. VII. epist. 36. „Saepe animus, qui renovari in Deo per *compunctionis gratiam desiderat*, per prava colloquia atque verba iterum veterascit." Lib. VIII. epist. 17. „Illa appetenda, illa summopere diligenda sunt, quae nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia *ad eorum desiderium anhelare sine divinae misericordiae gratia nullus valet*, oramus omnipotentem Dominum *ut haec vobis et eligendi velle*, et posse *tribuat* obtinendi: quatenus et hîc vos in suo vivere timore concedat." Lib. X. epist. 49. Conff. quae ex explan. septimi Psalmi poenit. §. 7. jam supra allegata sunt.

Verbum divinum est adminiculum, quo gratiam vim suam exserere *solet.*

In loco ex hom. IX. in Ezech. §. 2. jam ad 2, laudato gratiam praevenientem Gregorius *aspirationem* appellat. Aspirationem autem scriptorem nostrum ad verbum divinum retulisse, ex iis quae sequuntur apparet. „Jam jacentes *vox Domini* consolatur, ut in opere surgamus, quod tamen nos facere nostra virtute non possumus. Ipsius ergo nos spiritus implet et levat, et super pedes nostros statuit; ut qui proni in poenitentia pro culpa jacuimus, recti postmodum in bono opere stemus." §. 3. „Quum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est ut *unde nosmetipsos correximus*, inde jam *praedicantes* et alios levemus." §. 4. Clarius etiam id alii loci produnt, quorum unum hîc afferre sufficiat.

„Sciendum est, quod plerumque etiam Deum, qui videlicet imbecillis non est, humiliter agentes adjuvamus. Unde et per Paulum dicitur:

Adjutores enim Dei sumus. Nam quum ei, quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis rore concurrimus, hoc quod ille per spiritum agit intrinsecus, nos exterius ministerio vocis adjuvamus; et tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, quum in corde Deus fuerit, qui adjuvetur. Unde et alias dicit: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Plantare quippe et rigare, adjuvare est. Quod utrumque vacuum erit ministerium, si in corde Deus non dat incrementum." Mor. XXVIII. 27.

Sed quamvis verbum divinum adminiculum sit, quo gratia hominum animos movere soleat, ei tamen non adstricta est, sed etiam sine illo adminiculo vim suam exserere potest.

„Parvulorum animas praedicatorum suorum sollicitudine destitutas, etiam in medio peccantium positas amoris sui igne succendit (Dominus). — Ipse operatur intrinsecus per verba doctoris, qui et *sine verbis ullius hominis calefacit quos voluerit* in frigore pulveris. Ac si aperte doctoribus dicat: Ut sciatis quia ego sum qui per vos loquentes operor, ecce quum voluero, cordibus hominum etiam *sine vobis* loquor." Mor. XXXI. 15. „In sancta ecclesia ad religiosam vitam peccatores convertuntur, quos alii ad virtutis exempla sequuntur. Spiritus quidem sanctus illos trahit, et quia trahuntur aliis ostendit: ut tractos trahat, et videntes tractis inserat; quatenus per largitatem suae gratiae utrosque comprehendat. Quando enim hoc sine homine per semetipsum operatur in cordibus fidelium, utique miraculum non fit *quasi* a Deo, sed a Deo. Quando autem praedicantibus hoc aeternae vitae doctoribus agit, *quasi* a Deo est miraculum; quia mirabiles suos ministros ostendit, ut qui eos aspiciunt, devote valeant imitari." Lib. V. in prim. Reg. Cap. 4. §. 22.

Semper autem id quod verbi divini praedicatione efficitur ab interiore gratiae effectu pendet.

„Plerumque fit, ut quum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratiâ non repletur, incassum exterius a praedicatore moneatur, quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quae audiuntur. Hinc Propheta ait: Nisi

Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam. Hinc Salomon dicit: Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Nec mirum si a corde reprobo praedicator minime auditur, dum nonnumquam ipse quoque Dominus in his quae loquitur, resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quod Cain et divina voce admoneri potuit, et mutari non potuit: quia exigente culpa malitiae, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat." Mor. XI. 12. „Si sancti Spiritus gratia ab audientis mente subtrahitur, arescit protinus intellectus, qui jam per spem virideseere in audiente videbatur." 13. „Si sancti Spiritus gratia superno munere *juxta* vocem praedicantis infunditur, statim terra subtrahitur:" (secundum illud Jobi 12, 15. si emiserit eas (aquas), subvertent terram) „quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suae obstinatione permutatur, ut tandem se postmodum praeceptis Dominicis flendo subjiciat, quantum superbiendo prius contra Dominum cervicem cordis erigebat." 25. „Exteriori praedicationi *internam* aspirationem (Dominus) contulit, ut corda Gentilium arentia virescerent, clausa patescerent: inania complerentur, infecunda germinarent." XXIX. 51. „Quum misericors Deus imbri suo cursum, et sonanti tonitrui vitam dare dignatur, *compuncti per internam gratiam verbis vitae aures cordis aperiunt.* Et impletur terra invia; quia dum praebet auditum verbo, cumulatur mysterio. Et producit herbas virentes: quia per gratiam compunctionis infusa, praedicationis verba non solum libenter recipit, sed etiam ubertim reddit; ut quod audire non poterat, jam loqui concupiscat: et quae non audiendo etiam intrinsecus aruerat, jam loquendo quae sancta sunt, viriditate sua quoslibet esurientes pascat. Unde bene per Prophetam dicitur: Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Sic enim facies terrae virtute renovationis immutatur, dum sicca dudum mens, gratia veniente, compluitur, et post ariditatem pristinam quasi productis herbis, *scientiae* viriditate vestitur." 53. „Nequaquam sibi doctores tribuant, quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident: quia *nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat,* ad aures corporum vox docentium

incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius non possunt." XXVII. 64. „Nisi Spiritus (sanctus) cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit; quia *nisi datus sit qui doceat,* doctoris lingua exterius in vanum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditae vocis percipitis. Quum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia: nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? De hac unctione Spiritus rursus per Johannem dicitur (1 Joa. 2, 27): Sicut unctio ejus docet vos de omnibus. *Per vocem ergo non instruitur, quando mens per spiritum non ungitur."* In Evangg. hom. XXX. §. 3. Ibidem Gregorius affirmat, vel Creatoris verba Spiritus sancti unctione indigere, ut in animis hominum vim habeant.

Ad thesin, hominis conversionem non a praedicatione sola pendere, sed ab efficacia divinae gratiae, quae verbi divini adminiculo utatur, ad hanc igitur thesin probandam, Gregorius quaedam argumenta affert.

Unum argumentum repetit a re in facto posita, non omnes, qui praedicationem audiant, ad frugem se recipere. Si in praedicatione ipsa vis ad virtutem christianam excitandi sita esset — ita scriptor noster ratiocinabatur — omnes, qui verbum divinum audirent, mores emendare et peccare desinere deberent. Ad illud 1 Reg. 2, 6. *Ducit ad inferos et reducit* haec nempe affert: „Ut mortificet, ducit ad inferos; et ut vivificet, reducit ad inferos. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere, est peccatorum corda aeternorum cruciatuum consideratione terrere. Ei quoque ab inferis reducere, est territas poenitentium atque commissa lugentium mentes spe vitae indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus, quum supernâ gratiâ mollitis cordibus, futura tormenta formidamus. Et ab inferis reducimur, quum interno visitati solatio, ad spem veniae de poenitentiae lamento respiramus. Apte itaque Dominus ducere ad inferos, et reducere dicitur: quia humana duritia in hominis solius praedicatione, nec terrore concutitur, nec amore sublevatur. *Nam*

si doctorum esset mortificare, quotquot eorum praedicatio tangeret, peccare desinerent; et si eorum esset vivificare, quicumque ab eis caelestia audirent, ad ea nos protinus omni conatu perquirenda, intimi affectus sui amor accenderet. Nunc autem, quum saepe peccatoribus aeterna supplicia minentur, quum ea, quae possunt, eis caelestia bona praedicent, et nec supplicia metuant, nec laeta concupiscant, clamemus Annae vocibus in laudibus Dei, et ei etiam illud, quod per eos quidam proficiunt, imputantes, dicamus: Dominus mortificat, et vivificat. Dominus itaque ducit ad inferos, et reducit: quia illi possunt futura tormenta metuere, illi superna gaudia diligere, *in quibus per eas voces, quas foris homo loquitur, intus Dei pietas*" (i. e. gratia) „*operatur.*" Lib. II. in primum Reg. c. 1. §. 17. „Vocare Dei, *electorum suorum* mentes aspiratione suae gratiae excitare est. Antiqui vero Patres per scripturam quidem sacram loquuntur, sed tamen sine aspiratione divinae gratiae corda audientium excitare non possunt." Lib. III. in prim. Reg. cap. 1. §. 10.

Loca etiam biblica affert Gregorius ad necessitatem conjunctionis gratiae divinae cum praedicatione probandam.

„Praedicator ad aures venit, sed *cessante interna gratia* ad corda audientium non pertransit. De cujus praedicationis verbis *propter electos* dicitur (Psalm. 77, 18): Etenim sagittae tuae pertransierunt. Sagittae quippe Dei pertranseunt, quando verba praedicationis ejus ab auribus ad corda descendent. Quod quia *solo divino munere agitur,* imbri cursum Dominus se dedisse testatur (Jobi 38, 28.)" Mor. XXIX. 47. „Quia quilibet praedicator verba dare auribus potest, corda vero aperire non potest, et nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus praedicantium verbis ad corda audientium invisibiliter aditum praestet, incassum praedicatio aure audientis percipitur, quae pervenire ad intima corde surdo prohibetur; *se Dominus viam sonanti tonitrui dare* (Job. 38, 27) asserit, qui quum praedicationis verba tribuit, per terrorem *corda* compungit. Hanc viam Paulus praedicator egregius, dum superna mysteria terribiliter insonaret, se a se habere non posse conspiciens, discipulos admonebat, dicens (Col. 4, 3.): *Orantes simul et pro nobis, ut Deus*

aperiat nobis ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi. Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis a Domino aperiri ostium precabatur, habebat quidem jam tonitruum, sed dari ei desuper viam quaerebat. Hanc viam nequaquam se Johannes dare posse cognoverat, qui dicebat (1 Joh. 2, 27): *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Hanc viam rursum Paulus quis daret, intimabat, dicens (1 Cor. 3, 7): *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dedit.*" XXVII. 43.

Interior autem gratiae divinae natura nullo modo intelligi atque explicari potest.

„Vox Domini auditur, quum gratiae ejus aspiratio mente concipitur, quum insensibilitas occultae surditatis rumpitur, et cor ad studium summi amoris excitatum, virtutis intimae clamore penetratur. Sed istam vocem supervenientis spiritus, quae se in aures cordis insinuat, *nec ipsa mens, quae per hanc illustrata fuerit, investigat.* Pensare enim non valet, invisibilis virtus quibus sibi meatibus influat, quibus ad se modis veniat, quibus recedat. Unde et bene per Johannem dicitur: Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, et quo vadat. Vocem enim spiritûs audire, est vi compunctionis intimae in amorem invisibilis conditoris assurgere. Sed nemo scit unde veniat: quia ignoratur per ora praedicantium, quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit quo vadat: quia quum unam praedicationem multi audiunt, intelligi procul dubio non potest, quem deserens abjiciat, aut cujus ingrediens in corde requiescat. Una quippe res foris agitur, sed non per hanc uno modo intuentium corda penetrantur: quia qui invisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina *incomprehensibiliter* plantat. Hinc est quod resuscitato Lazaro quidam crediderunt, sed tamen Judaeorum plurimi ad persecutionis zelum ex hac ipsa resuscitatione commoti sunt. Unum ergo idemque miraculum, quod aliis lumen fidei praebuit, alios per invidiae tenebras a lumine mentis excaecavit. Hinc est quod uterque latro et eamdem, et suae morti similem mortem

Redemtoris vidit: sed eum superbiendo alter contumeliis lacessere non timuit, quem timendo alter honoravit; atque in una re una utriusque cogitatio non fuit, quia hanc internus arbiter invisibiliter modificando distinxit. Sed hi *occultae* aspirationis modi, *qui comprehendi nostra cogitatione nequeunt*, nimirum divinae vocis vestigia *nesciuntur*." Mor. XXVII. 41. „Voce sua Deus mirabiliter tonat, quia occulta vi corda nostra *incomprehensibiliter* penetrat. Quae dum latentibus motibus premit in timore, et format in amore, quanto ardore sequendus sit aliquo modo silenter clamat, et fit cujusdam impulsionis nimietas in mente, quum nihil sonet in voce. Quae tanto apud nos valentius perstrepit, quanto et ab omni exteriori strepitu aurem nostri surdescere cordis facit. Unde et anima ad semetipsam mox hoc intimo clamore collecta miratur, quod audit; quia vim compunctionis *incognitae* percipit. — — Vetustae vitae protinus usus mutatur, ut anima superno spiritu afflata, et in summis appetat quae contemserat, et contemnat in infimis, quae appetebat." §. 42. „Magna sunt quae per vocem suam Dominus facit, sed minus magna essent si perscrutari potuissent. Facit ergo magna et inscrutabilia (Jobi 37, 5.); quia ostendit foris perfectionem operis, sed latet ipsa *qualitas* operationis. Voce sua foris etiam per Apostolos insonat, sed corda audientium per se ipsum interius illustrat." §. 43. „Per *occultam* inspirationem gratiae meritorum suorum gradibus fides crescit." In Ezech. lib. II. hom. III. §. 4.

5. Gratiae Dei a voluntate hominis resisti potest. Gratia ergo divina non est irresistibilis.

Gratiae Dei a perversa hominis voluntate resisti posse, vel ex iis apparet, quae de statu naturae corruptae per peccatum Adami et de ratione, quae inter liberum hominis arbitrium et divinam gratiam intercedat, secundum Gregorii doctrinam disputata sunt. Homo aegrotat, ei ergo medicina gratiae est adhibenda, ut convalescat. A voluntate autem hominis pendet, an medicinam adhibere velit.

Quae quum ita sint, mirari non licet, comparationem gratiae adjutricis cum medico, quae apud scriptores Semipelagianos non infrequens est, apud Gregorium etiam deprehendi.

„Quod ait (Psalm. 102, 3): Inclina ad me aurem tuam, tale est quasi dicat: Aeger sum, non possum me erigere ad te, quia non est hominis dirigere viam suam. Sed tu *more fidelis medici,* inclina ad me aurem tuam. Inclina aurem, quia ego non erigo cervicem. Scio enim quia si me erexero, longius discedis; si humiliavero, propius accedis. Sicut enim humiliato appropinquas, ita te ab elato elongas.“ In expos. in Psalmum quintum poenitent. §. 3.

Accedit quod loca adsunt, quibus Gregorius hominem gratiae Dei resistere posse, *diserte* affirmat.

„Ostendit (Deus) quantum nos diligit, qui nos nec quum *respuitur* relinquit. — Ejus donum suborta in nobis tentatione *repellitur,* et tamen ab infundendo intrinsecus munere nequaquam nostra infirmitate revocatur. Ejus publice verba *respuuntur,* et tamen ab eroganda gratiae largitate nulla infidelium iniquitate compescitur.“ Mor. XXX. 5. „Sunt plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine censentur, verba vitae auribus audiunt, *sed ea transire usque ad interna cordis minime permittunt.*“ XXIX. 53. „Donum humiles accipiunt, quod a se corda superbientium *repellunt.*“ Conf. in Evangg. hom. XXII. 4. — „Sanctae exhortationis verba alia mens suscipit, alia mens suscipere *recusat.*“ Lib. I. hom. X. in Ezech. 23. — In expositione Psalmi sec. poenit. §. 13. ille, qui praecepta Dei „*rejicit*“ cum mulo comparatur.

Iis etiam in locis, quibus homini in gratia praeveniente accipienda aliquid tribuitur, gratia irresistibilis *indirecte* negatur.

„Semen homo jactat in terram, quum *cordi suo bonum intentionem inserit.* — *Praeveniente se gratia,* mens hominis *spontanee* ad fructum boni operis assurgit.“ In Ezech. lib. II. hom. III. §. 3. „Via Domini ad cor dirigitur, quum *veritatis sermo humiliter auditur.* Via Domini ad cor dirigitur, quum ad praeceptum vita praeparatur. — Quisquis autem in superbiam mentem elevat, quisquis avaritiae aestibus anhelat, quisquis se luxuriae inquinationibus polluit, cordis ostium contra veritatem claudit; et ne ad se Dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat.“ In Evangg. hom. VII. §. 2. „(Dominus) vocat per se, vocat

per angelos, vocat per patres, vocat per prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, vocat etiam per nos, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. *Nemo contemnat*, ne dum vocatus excusat, quum voluerit intrare non valeat." In Evangg. hom. XXXVII. 10. Secundum hunc locum ii reprobantur, qui Deo vocanti non obsequuntur. — „Iniqui a luce iutelligentiae *sponte sua* oculos claudunt." Mor. V. 71. „Misericors Deus tempus nobis ad poenitendum relaxat, sed quum ejus gratiae patientiam nos ad augmentum vertimus culpae, hoc ipsum tempus quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit: ut quum reverti quis etiam spatio temporis accepto *noluerit*, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti *voluisset*. — Quia homo deserere malum *non vult* ut vivat, auget (Deus) unde moriatur." In Ezech. lib. I. hom. XII. 25.

Unus quidem locus exstat, in quo Gregorius gratiam esse irresistibilem docuisse videtur. Praedestinationis enim ratione habita inquit Mor. XI. 13. „Sicut *nemo obsistit largitati vocantis*, ita nullus obviat justitiae relinquentis." Sed in his verbis non est argutandum. Vocatio secundum Gregorium pertinet ad largitatem Dei, *cui nemo facile obsistit*. Hic sensus verbis sine dubio inest. Nullo autem modo vir noster affirmat, largitati vocantis obsisti *non posse*, id quod omni doctrinae Gregorii, et speciatim iis, quae de gratia *resistibili* in Moralibus ipsis diserte docet, aperte repugnaret.

§. 26.
Summa doctrinae Gregorii de gratia.

Secundum hanc nostram disputationem omnis Gregorii de gratia doctrina ad haec capita revocari posse videtur.

1. Gratia Dei latissime patet. Quicquid boni volumus et facimus, Deo est tribuendum, omnisque salutis nostrae origo a Deo est repetenda, qui nobis opportunitatem salutis praebet. Nostra igitur merita hoc sensu sunt Dei munera. Haec est gratia Dei *sensu latiori*.

2. Gratia divina interna et ad intellectum et ad voluntatem hominis vim habet. Verbi divini adminiculo uti solet, sed ei non adstricta est, nec tam arctis limitibus se circumscribi patitur. Hujus gratiae interior natura explicari non potest. Haec est gratia divina *sensu strictiori.*

3. Gratia Dei interna sive gratia Dei sensu strictiori hominem et praecedit et subsequitur.

4. Quamvis gratiae hujus vis et ratio intellectum quidem nostrum transcendat, liberum tamen hominis arbitrium gratiâ divinâ non extinguitur. Haec iis modo confertur, qui sese propria voluntate ad eam applicuerint. Gratia utpote medicina iis modo praebetur, qui medico uti voluerint. Meritum igitur hominis animi propensione ad gratiam accipiendam cernitur.

5. Ex his apparet, gratiae divinae hominem resistere posse. Gratia igitur *non* est irresistibilis.

§. 27.

V. *De praedestinatione.*

De praedestinatione, quae cum doctrina de gratia arctissime est conjuncta, haec habet Gregorius noster.

1. Si Adam non peccasset, soli electi nascerentur. Quum autem Adamus deliquerit, ex hominibus peccato Adami obnoxiis numerum certum et definitum Deus pro sua misericordia ab aeterno elegit, qui salutis aeternae particeps evaderet. Electorum numerus, reproborum ratione habita, est exiguus, si ab hac comparatione discesseris, innumerabilis. Qui ad hunc numerum pertinent, ecclesiae christianae socii sunt.

„Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennae generaret; sed hi, qui nunc per redemtionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.“ Mor. IV. 62. „Futurae retributionis beatitudinem *priusquam per corpus ipse innotesceret* (Dominus), in paucorum intellectu continuit. Quum vero humanae nativitatis infirma suscepit, venturae claritatis notitiam in multitudinis innumerae amore dilatavit. Sed quum divini operis mysterium sic *mi-*

sericordia peragat, ut tamen et ira comitetur, *quatenus occultus arbiter alios respiciens redimat*, alios deserens perdat; quia cognovimus, quomodo per incarnationem suam electos illuminet, audiamus nunc quomodo reprobos damnet.“ XXIX. 4. „Notandum est, quia dum aliis cadentibus, ad standum alii solidari perhibentur, *electorum numerus certus et definitus* ostenditur. Unde etiam Philadelphiae ecclesiae per angelum dicitur (Apoc. 3, 11.): Tene quod habes, ne alius arripiat coronam tuam.“ XXV. 20. „Quod *electorum numerus apud Deum sit constitutus*, manifestat Apostolus Paulus qui ait (2 Tim. 2, 19): Novit Deus qui sunt ejus. Et per semetipsum Dominus ait (Joan. 13, 18.): Ego scio quos elegerim. Quos quia non imperfecte scit, sed perfecte novit, procul dubio et numerum in quo eliguntur, cognoscit. De quibus per Paulum (Rom. 8, 29.) dicitur: Quos enim praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui.“ Super cantica cantic. expos. Cap. VI. §. 8. „Electionis suae (Domini) *immutabilitas*.“ Lib. III. in primum Regum cap. I. §. 18. „Electi licet nunc pauci appareant, in invisibili tamen patria innumerabiles regnant; quia etsi ex comparatione pravorum pauci sunt, in congregationis suae frequentia metiri nequaquam possunt.“ Mor. XVII. 19. „Multitudo reproborum humanae rationis numerum transit. Multis ecclesiam intrantibus, etiam hi ad fidem specietenus veniunt, qui a numero regni caelestis excluduntur; quia electorum *summam* sua videlicet multiplicitate transscendunt.“ XXV. 21. „*Extra hanc quam dicimus ecclesiam, nemo* ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi *per hanc solam* gratia fovente nutritur.“ Super cantica cantic. exp. cap. VI. §. 9.

2. Qui ad electorum numerum non pertinent, gratiae participes non evadunt atque adeo peccant, et vitiositatis suae poenam merito dant.

„Etsi corpus sub disciplina est,“ (in malis, quae hominem afficiunt, qui ad frugem non redit) „cor sub disciplina non est: dum et flagellatur quisque, et tamen ad humilitatem mentis non reducitur. Neque ita hoc dicitur, ac si omnipotens et misericors Deus longe cor hominis a disciplina faciat: sed *quod sponte delapsum, ibi remanere ubi cecidit,*

judicando permittat; sicut ei in oratione quoque dicimus: Et ne nos inferas in tentationem; id est induci minime *permittas.*" Mor. XIII. 36. „Peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est *et* poena peccati: quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut praecedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Non ergo immerito poena peccati dicitur, quod justa desuper irrogata caecitate, ex praecedentis peccati ultione perpetratur." XXV. 22. „Pensandum est, quod occulto consilio omnipotens Deus quosdam ab ipsis exordiis suis innocentes custodiens, usque ad virtutum provehit summa: ut aetate crescente, simul in eis proficiat et annorum numerositas, et celsitudo meritorum. Alios vero in exordiis suis deserens scaturientibus vitiis, ire per abrupta *permittit.*" XVIII. 26. „Bona faciens et ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta, ne inordinate eveniant, ipse disponens, considerat universorum finem, et patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quod *de malo opere dignum se trahantur ad supplicium.*" §. 46. „Nullus obviat justitiae relinquentis. — Ad Mosen dicitur de Pharaone: Ego obdurabo cor ejus. Obdurare per justitiam dicitur Deus, quando *cor reprobum per gratiam non emollit.* Recludit itaque hominem, *quem in suorum operum tenebris relinquit.*" XI. 13. „Justo judicio superbas mentes ad culpam egredi ex accepta virtúte *permittit.* — Plerumque sacri eloquii scientiam praestat, sed dum de eadem scientia, is qui accipit, extollitur, irâ districti judicis in ipso sacro eloquio caecatur, ut exteriores favores per illam sequens, ejus jam interna non videat; et qui intus manens calere poterat, exeundo frigescat, duratusque in ima corruat, qui ad cognitionem Dei prius tractabilis in summis liquidus stabat. — Quia oportet esse haereses, ut probati manifesti fiant, quum ab intellectu sano mens superba repellitur, ultione districti judicis gelu de caelo generatur: ut quum ipsa scriptura sacra in electorum cordibus caleat, eos qui se superbe scire appetunt, a se frigidos emittat. Ibi quippe errant, ubi corrigere errata debuerant; et dum

a superna intelligentia resplendentis eloquii, et obdurati ipsi, et seducturi ceteros, corruunt, ad ima venientes ut gelu, et alios adstringunt. Semetipsum tamen Dominus hoc gelu gignere perhibet, *non quod pravorum mentes ipse ad culpam formet, sed quod a culpa non liberat,* sicut scriptum est: Ego obdurabo cor Pharaonis. Quod quia misericorditer emollire noluit, profecto districte se obdurasse nuntiavit." XXIX. 60. „Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus ejus meritis, *nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit.*" XXXI. 26. „Non cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, *quum ab obduratione non liberat.* Misericors enim Deus tempus nobis ad poenitendum relaxat, sed quum ejus gratiae patientiam nos ad augmentum vertimus culpae, hoc ipsum tempus quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit; ut quum reverti quis etiam spatio temporis accepto *noluerit,* per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti *voluisset.* — De benignitate omnipotentis Dei iram sibi in die irae reprobus thesaurizat; quia dum ad poenitendum tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiae vertit in augmentum culpae. Unde et omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit, ad culpae augmentum trahi, ipsam benignitatem quam contulit, in judicii districtionem vertit, ut inde post amplius feriat, unde modo amplius exspectat. Et quia homo deserere malum *non vult* ut vivat, auget unde moriatur." In Ezech. lib. I. hom. XII. §. 25. „Redemtor noster in collectione hominum — alios a suis iniquitatibus educit, *alios in sua iniquitate derelinquit.*" In Ezech. lib. II. hom. 1. §. 11. „Iste trahitur, *ille relinquitur.*" §. 13. „Reprobi in malo, quod cupiunt, cadere *permittuntur.*" Lib. IV. in primum Regum cap. 2. §. 7.

3. In praedestinatione pro sua misericordia et justitia Deus hanc rationem secutus est, ut ab aeterno eos eligeret, quos gratiam suam accepturos esse praesciret. Praedestinatio igitur praescientiâ Dei nititur. Quis autem assumatur, quis relinquatur ab humana ratione percipi non potest, quum internam hominum conditionem nullo modo perspicere pos-

sit. Nec in omni de praedestinatione quaestione in universum plus justo sapere audere, et id modo persuasum habere debemus, Deum justum non injuste agere.

Ad 1 Sam. 2, 25: *Et non audierunt vocem patris sui* (filii Eli), *quia voluit Dominus occidere eos*, haec affert Gregorius: „Per Prophetam (Ezech. 18, 23. et 33, 11.) Dominus denuntians, ait: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Qui enim peccatorem vult vivere, ut convertatur, *si hunc inconvertibilem divina praescientia noscit*, occidit. Vult ergo Dominus occidere, sed eos, *quos praenoscit converti nolle*. Misericors enim et justus asseritur, dum a Propheta flagitatur (Psalm. 115, 3.): Domine, inquit, libera animam meam, misericors et justus Deus noster. Per misericordiam converti vult peccatores et vivere, sed per justitiam eos, *qui converti noluerunt*, vult punire: misericorditer non salvat, nisi volens: per justitiam nolens damnat. Dum ergo occidere velle dicitur, peccatorum impietas maxima et *inemendabilis* ostenditur quae voluntarie divinae justitiae executione puniatur. Sic utique et piissimos secularium negotiorum judices agere videmus, qui vellent ut nemo delinqueret, ut ipsi punire neminem deberent: sed dum ab iniquis audacter scelera committuntur, voluntarie eos puniunt, quos libentius non commisisse punienda voluerunt. Quo contra illud hoc in loco cernitur, quia non dicit: Quia corrigentis patris vocem audire noluerunt; sed, Non audiere: quia voluit eos Dominus occidere. Sed qui *divini examinis aequitatem* recte considerat, interesse nihil putat, an occidatur aliquis, an illo in scelere dimittatur, in quo aeterna reprobatione perimatur. Tale est, ac si dicat: Tanta fuit magnitudo culpae, ut et conversionis monumenta susciperent, et a mortis suae fovea surgere nequaquam possent: et qui irae Dei pelagus biberant, in damnationis suae cumulum haberent non solum poenam commissi sceleris, sed etiam additam vindictam *contemtae* praedicationis.“ Id etiam Judaeorum non credentium exemplo illustrare studet. Lib. II. in prim. Regg. cap. 2. §. 20. Praedestinatio igitur secundum hunc locum praescientiâ Dei nititur.

Eundem sensum multa alia loca exhibent. „Quos et electos nominat, quia *cernit* quod in fide et bono opere persistant.“ In Ezech. lib. I. hom. IX. §. 8. „*Philisthiim abiere in loca sua* (1 Sam. 14, 46.). Tacentibus quidem doctoribus, in loca sua daemones abeunt; quia per pastorum silentium non pereunt, nisi quia ad vitam aeternam praedestinati non sunt. Loca etenim daemonum sunt; quia *divinâ praescientiâ* in habitaculum Dei praeordinati non sunt. Hinc est, quod, praedicantibus primis doctoribus, dicitur (Act. 13, 48.): Credebant quotquot praedestinati erant ad vitam aeternam. Hinc Paulus (Rom. 8, 30.) ait: Quos praescivit et praedestinavit, et quos praedestinavit, vocavit. Hinc est, quod volentes Apostoli transire in Asiam, a Spiritu sancto prohibiti sunt (Act. 16.). Qui ergo non praedestinati sunt, sive audiant doctorum verba, sive non audiant, vocari in Dei habitaculum nequeunt: quia per nequitiam, in qua sunt ante constitutionem mundi *praecogniti*, locum in se malignis spiritibus paraverunt. Bene igitur, dum insequi Philistaeos cessare dicitur (Saulus), in loca sua daemones abiisse referuntur; quia aliquando Dei dispensatione doctores tacent, ut illis tacentibus hi, qui Domini non sunt, a malis spiritibus recipiantur.“ Lib. V. in prim. Regum cap. 4. §. 59.

Praedestinationem secundum Gregorii sententiam praescientiâ niti inde etiam apparet, quod etiam reprobis liberum arbitrium, eo sensu, quo sit gratiam accipiendi facultas, diserte tribuit. „Bene dicitur: Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Ac si aperte diceretur: Ad parcendum reprobis nullâ ratione compellor; quia eis debitor ex sua actione non teneor. *Idcirco enim nequaquam caelestis patriae praemia aeterna non accipiunt; quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contemserunt.*“ Mor. XXXIII. 39. „Quod per Evangelium (Dominus) dicit (Joan. 12, 32.): Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se *a Deo male vivendo separavit.*“ Lib. VII. epist. 58.

Ceterum Gregorius de praescientia Dei *satis* subtiliter disputabat.

Agnoscebat enim, solummodo hominum ratione habita temporis mentionem fieri, quum Deus ipse temporis limitibus non circumscriberetur. „Scimus quia Deo *futurum* nihil est, ante cujus oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis *fuit et erit*, in ejus conspectu *praesto est;* et omne quod praesens est, *sciri* potest potius quam *praesciri.* — Quia ea quae nobis futura sunt videt, quae tamen ipsi semper praesto sunt, *praescius* dicitur, quamvis nequaquam futurum praevideat, quod praesens videt. Nam et quaeque sunt, non in aeternitate ejus ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur. Dum ergo ad verba mutabilitatis nostrae descenditur, ex iis quibusdam gradibus factis ascendat qui potest ad incommutabilitatem Dei, ut videat — *sine praevisionibus praescientem.* In illo enim nec praeterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, et quae in se ipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo praeterit quod transit; quia in aeternitate ejus, *modo quodam incomprehensibili,* cuncta volumina saeculorum transeuntia manent, currentia stant.“ Mor. XX. 63.

Quamvis autem secundum loquendi modum hominibus familiarem praedestinatio praescientiâ Dei nitatur, praedestinatio tamen ipsa humanam rationem transcendit, nec a nobis, si de singulis gentibus et hominibus quaeritur, dijudicari potest, quis assumatur, quis relinquatur. Deum autem justum injuste agere non posse, extra omnis disputationis aleam est positum. Id a Gregório nostro multis locis inculcatur.

„Quum haec ante mentis oculos continua cogitatione revolvimus, duris taciti quaestionibus urgemur, cur omnipotens Deus condidit, quem periturum esse praescivit? cur is, qui summe potens et summe bonus est, nequaquam voluit hominem talem facere, qui perire non posset? Quum vero haec tacita mens interrogat, pavet ne ipso interrogationis ausu in superbiam erumpat: seque humiliter comprimit, et cogitationes restringit. Sed eo gravius affligitur, quo inter mala quae sustinet, etiam de conditionis suae abscondito intellectu cruciatur.“ Mor. XV. 51. „Superjecto quodam ignorantiae nostrae velamine, incomprehensibilitatem

divini judicii humanae mentis oculus nullatenus penetrat. Nemo perscrutari appetat, cur quum alius repellitur, alius eligatur, vel quum alius eligitur, alius repellatur.“ XXIX. 57. „Quod electos ad vitam flagella revocant, et a malis actibus reprobos nec flagella compescunt, omnipotentis Dei judicia super nos valde *occulta* sunt et injusta non sunt. Sed si tendamus oculum mentis ad superiora, in illis aspicimus quia de nobis quid juste conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus angelorum merita discernens, alios in aeterna luce sine lapsu permanere constituit; alios sponte lapsos a statu suae celsitudinis, in aeternae damnationis ultione prostravit. Nobiscum igitur injuste nil agit, qui et subtiliorem nobis naturam juste judicavit.“ XV. 61.

Ut argumentum, consilia divina ultra captum humanum esse, illud in Pelagianis controversiis saepe excitatum exemplum duorum filiorum, quorum alter moriatur ante baptisma, alter postquam baptismate regeneratus sit, a Gregorio profertur. A nonnullis proposita explicandi ratio, quae a vita, quam uterque acturus fuisset, si in vivis mansisset, petitur, a Gregorio etiam, Augustiniano more, exploditur. „Ut unum e multis loquar, duo ad hanc lucem parvuli veniunt, sed uni datur ut ad redemtionem per baptisma redeat, alter ante subtrahitur, quam hunc regenerans unda perfundat. Et saepe fidelium filius sine fide rapitur, saepe infidelium concesso fidei sacramento renovatur. Sed fortasse aliquis dicat, quod hunc Deus acturum prave etiam post baptisma asserat, et idcirco eum ad baptismatis gratiam non perducat. Quod si ita est, peccata quorundam procul dubio priusquam sint perpetrata, puniuntur. Et quis ista recte sentiens dixerit, quia omnipotens Deus, qui alios a perpetratis facinoribus liberat, haec in aliis etiam non perpetrata condamnet? Occulta itaque sunt ejus judicia; et quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent venerari. Mensuram tuae notitiae, eo ipso quo humanitate circumscriberis, (opera Dei) transeunt.“ Mor. XXVII. 7.

„Nemo discutiat, cur stante Judaico populo dudum in infidelitate Gentilitas jacuit; et cur, ad fidem Gentilitate surgente, Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat, cur alius trahitur ex

dono, alius repellatur ex merito. *Consilium summae et occultae virtutis satisfactio fit apertae rationis.* Unde et in Evangelio Dominus, quum de hujus rei causa loqueretur, ait (Matth. 11, 25): Confiteor tibi pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus; et revelasti ea parvulis. Atque mox tamquam rationem quamdam absconsionis et revelationis adjungens, ait: Quia sic fuit placitum ante te. Quibus nimirum verbis exempla humanitatis accipimus, *ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione praesumamus.* Quum enim intulisset utrumque, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit, hoc videlicet ostendens, quod *injustum esse non potest, quod placuit justo.* In cunctis quae exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultae justitia voluntatis.“ Mor. XXV. 32. Conf. XXIX. 57. „Alius secuturum se promittit, et repellitur; alius relaxandum se postulat, et retinetur. Unde hoc, nisi quia *super occulta cordis spatia* supernorum judiciorum lineae tendebantur, ut et hunc intus incomprehensibiles mensurae constringerent, et ille foris non injuste remaneret.“ XXVIII. 16. „Doctorum studia sub quadam *occulti judicii* dispensatione detinentur, ut et aliis legentibus prodesse non possint. — Per *incomprehensibile* ejus judicium et alter intra mensuram electorum mittitur, et alter foras relinquitur, ut nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur.“ In Ezech. lib. II. hom. 1. §. 11. „*Occultus arbiter* alios respiciens redimit, alius deserens perdit.“ Mor. XXIX. 4. „Per *occultum* judicium is qui electis est lucifer, reprobis auditoribus fit vesper: quia exhortatione sancta, qua boni ad vitam redeunt, pravi deterius in culpa moriuntur. Quod *occultis Dei judiciis agitur, quae in hac vita ab hominibus comprehendi non possunt.*“ 76. „Alius male inchoans, usque ad vitae suae terminum ad pejora protrahitur: alius bene incipiens, per longitudiuem temporum proficit ad augmenta meritorum. At contra, alius male vivens diu reservatur, ut se corrigat; alius vero bene quidem videtur vivere, sed in hac vita eo usque durat, quoad in perversa prorumpat. Alius in errore infidelitatis natus, in errore deficit; alius in catholicae fidei rectitudine

genitus, in catholicae fidei rectitudine consummatur. E contra vero alius catholicae matris ventre editus, juxta vitae terminum erroris voragine devoratur: alius autem vitam suam in catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia cum lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem bene vivendi appetere et vult et valet: alius nec vult, nec valet. Alius vult, et non valet; alius valet, et non vult. *Quis ergo ista judiciorum caelestium secreta discutiat? Quis intelligat secretam lancem aequitatis occultae?* Ad cognoscendos quippe *istos judiciorum secretorum sinus* nullus ascendit. Dicatur ergo homini, ut se nescire cognoscat." §. 77. „Occulti dispensatione judicii quod aliis aperitur, aliis clauditur; quod aliis detegitur, aliis occultatur. — Quod tunc nobis latius innotuit, quum Redemtor noster per dispensationis mysterium apparens, et indignis misericordiam praebuit, et eos a se qui digni videbantur exclusit." XXX. 21. „Justi et *occulti* examinis mensura disponitur, ut et istos (electos) mala adjuvent, et illos (reprobos) bona gravent; dum et isti ad provectum boni utuntur levibus malis, et illi ad augmentum mali utuntur minimis bonis." XXXIX. 45. „Occultum judicium *pie* super nos *justeque* disponitur, quomodo alii perdunt quod tenere videbantur, et alii accipiunt, quod alii ex meritis perdunt." XXV. 18. „*Juste ac misericorditer* singulorum corda vel examinans, vel disponens (omnipotens Deus), alios in exteriora respuit, alios in ea, quae sunt intrinsecus, trahit: hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare: horum mentem ad superna erigit, illorum superbiam in infirmis desideriis mergit. *Aliena autem corda humanis oculis clausa sunt, et nescitur qui repellitur; quia penetrari nequeunt, quae ab unoquoque cogitantur.* Quis hominum aestimare potuisset, Judam vivendi sortem etiam post ministerium Apostolatus amittere? Et quis e contra latronem crederet causam vitae etiam in ipso articulo mortis invenire? *Occultus* autem judex praesidens, utrorumque corda discernens, alterum *pie* statuit, alterum *juste* confregit. Illum districte exterius repulit, hunc introrsus misericorditer traxit." 19. „Subtili *occulto*que judicio a quorum-

dam auribus praedicatio sancta subtrahitur; quia suscitari per gratiam *non merentur*. Unde necesse est, ut in omne quod agimus omnipotentis Dei super nos consilia occulta timeamus; ne dum mens nostra a sua se voluptate non revocat, intus contra eum judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens, ait: Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum. Vidit namque quod alius *misericorditer vocatur*, alius *justitia exigente repellitur*. Et quia alia parcendo Dominus, alia irascendo disponit, expavit quod penetrare non potuit. Et quem non solum *investigabilem*, sed etiam in quibusdam suis sententiis inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit." In Evangg. hom. IV. §. 1. „Sed is videlicet per infirmitatem carnis nostris obtutibus apparens, dum alios reprobat, alios vocat, *mira judicia exhibuit, quae a nobis et cogitari possint, et comprehendi non possint*. In quibus judiciis Judaea repellitur, Gentilitas aggregatur. *Quod videlicet factum mirari possumus, sed perscrutari nullatenus valemus*." Mor. XXVII. 4. „Nemo bene judicat quod ignorat. Tanto ergo debemus sub ejus judicio silendo quiescere, quanto et rationem judiciorum illius nos cernimus non videre." 5. „Quia conditor noster *occulta nostra* examinat, et non solum opera, verum etiam *intentiones radicitus pensat, occulto* ejus judicio fit, ut quosdam qui in oculis hominum justi esse videntur, reprobet; quosdam criminibus reos per poenitentiam correctos salvet. Et quum juxta Apostoli sententiam (*Rom.* 9, 16.), neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei, alios qui corruerant, *misericorditer* erigit; alios qui stare videbantur, cadere *juste* permittit." Expos. in quintum Psalmum poenitent. §. 16. Ad Cant. 1, 9.: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea; haec affert Gregorius: „Videt Deus adhuc multos luxuriae, adhuc avaritiae servientes, et tamen attendit in secreto judicio quid jam de ipsis operatus est, quia habet equos Deus; sed multos videt adhuc equos esse Pharaonis. Et quia considerat *occulto judicio, occulta praedestinatione* ad bonum commutandos, similes illos attendit jam equis suis; quia videt illos ad currum suum ducturus, qui prius in curru Pharaonis deservie-

bant. Ubi consideranda sunt *occulta judicia*, qnia multi videntur per praedicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatem equi Dei esse; et tamen *occulto judicio Dei*, equis Pharaonis assimilantur. Quia et illos videt de bonis ad malos verti, et istos videt de malis ad bona reduci. Sicut ergo per discretionem multi qui equi videntur Dei, equi sunt Pharaonis per reprobam vitam, quae illos sequitur; ita per pietatem qui equi Pharaonis videntur, ejus electi per sanctam vitam, quam in fine suo servaturi sunt, equis Dei assimilantur. Unde blanditur sponsus et dicit: Equitatui meo in curribus Pharaonis subdita deserviebas, sub vitiis currebas, sed ego attendi quid de te per praedestinationem feci. Equitatui meo assimilavi te, id est electis meis similem te attendi." Super cantica cantic. expos. Cap. I. §. 29.

Ut autem Gregorius loca scripturae sacrae, quibus Deus velle *omnes* homines salvos fieri affirmatur, cum locis illis conciliaret, in quibus electio quaedam tradi videtur, contorta usus est interpretatione, in qua Augustini sui vestigia sequebatur.

Ad interrogationem XXIX. „Quum Deus omnia, quaecumque voluit, fecit, num quid totum genus humanum ad salutem perduxit? aut si hoc agere noluit, quomodo sanctus Paulus voluisse scripsit, dicens: „Qui vult omnes homines salvos fieri?" in Concordia quorundam testimoniorum sacrae scripturae hanc legimus responsionem: „Indubitanter credendum est, quia non alia Deus in temporibus fecit, quam quae ante tempora praescivit et praedestinavit. Sed hoc nimirum intelligendum est, quia omnipotens Deus aliquid in sacra scriptura se agere dicit, quod non per propriam naturam, sed per creaturam profecto agit. Sicut ad patrem Abraham dixerat, quum occidi Isaac omnino nolebat, dicens (Gen. 22, 12): Nunc cognovi quod tu times Deum: hoc est, nunc cognoscere te feci, quod sine ullo termino ego cognovi. Et sicut in Ezechiële (33, 11) de impio ait: Nolo mortem impii: hoc est, feci nolentem mori, licet hoc ipse agat unde ad mortem perveniat, in natura ejus posui, quod nequaquam vult mori. Vult ergo Dominus omnes homines salvos fieri, qui in hoc utique sunt conditi quod volunt, licet in-

digni, semper esse salvi. Seu Deus omnes homines vult salvos fieri, quia salvos fecit *ex omni ordine generis humani*, scilicet, reges ex regibus, duces ex ducibus, et ex viris et ex mulieribus, et ex omnibus omnino hominibus. Hoc ergo genere locutionis loqui poterat Paulus quum dicebat: Qui vult omnes homines salvos fieri. Quoniam secundum Marcum" (potius Lucam 11, 42) „Evangelistam locutus est etiam ipse Dominus dicens: Vae vobis Scribae et Pharisaei, qui decimatis mentham, et omne olus: hoc est, omne olerum genus. Unde enim poterant universa decimare, qui omnino non valebant cuncta simul congregare?" Opp. P. III. Part. 2. p. 576. Haec interpretatio jam ab Augustino proposita legitur quoque in lib. quinto in prim. Reg. cap. 4. §. 63.: „Omni creaturae Evangelium praedicare praecipit (Marci 16, 15), qui *omnia genera hominum* duci ad fidem voluit. — Unde scriptum est: Qui vult omnes homines cet. Omnes quippe homines vult salvos fieri; quia *de omni hominum genere eligit,* quos ad gaudium aeternae salutis trahit."

4. Electi evangelii praedicationi et gratiae divinae aspirationi obsequuntur, liberum arbitrium, eâ mente, qua est libertas a peccatorum dominatione, et perseverantia eis conceditur. Ab omnibus tamen vitiis immunes non sunt et variis modis peccant. Sed commissa peccata deflent, eaque bonis operibus et bene agendi ratione abstergunt. Neque ab afflictionibus temporalibus electorum vita immunis est, quibus efficitur, ut ab iniquitatum sordibus et maculis, quae illis inhaerent, superbia spirituali cet. mundentur. Reprobi praedicationem audire eique obsequi contemnunt, vel certe, si audiunt et aliquamdiu rectam viam ingrediuntur, non tamen in ea perseverant. Liberum arbitrium, quod electis tribuitur, reprobis denegatur. Eorum vita non omnibus quidem bonis hujus vitae caret, sed tamen nonnumquam percutiuntur, ut Deus etiam per hujus vitae spatium odium in peccatores manifestet. Ceterum reproborum vita electis multiplicem utilitatem affert.

„Et electis lucifer oritur, et reprobis Deo permittente vesper dominatur. Unus enim atque idem sermo Dei est in ore praedicantis. Quem dum isti gaudendo, illi vero invidendo audiunt, claritatem sibi lu-

ciferi in vesperi tenebras vertunt. *Dum isti humiliter vocem sanctae praedicationis accipiunt,* quasi ad stellae lucem oculos cordis aperiunt; dum vero illi bene dicenti invident, et non salutis causam, sed elationis gloriam quaerunt, prorumpente iniquitatis suae vespere in somnum mortis oculos claudunt." Mor. XXIX. 76. „Omne visibile, quod in hac vita reprobos figit, hoc electos ad alia impellit: quia dum bona quae facta sunt, respiciunt, in eum a quo facta sunt, inardescunt: tantoque eum praestantius amant, quanto illum hoc quod ipse bonum condidit, praeire considerant. *Loquitur quippe hoc eis intrinsecus, silenter sonans invisibilis lingua compunctionis.* Quam tanto plenius intus audiunt, quanto ab exteriorum desideriorum strepitu perfectius avertuntur. — Intus quod appetunt audiunt, et de caelestium bonorum praemiis ipso desiderio divinitatis instruuntur." XXX. 20. „Qui tamen concentus reprobis dormit, quia eorum cordibus nequaquam per vocem compunctionis innotescit. — Solis visibilibus serviunt, et idcirco nihil supernae suavitatis intrinsecus audiunt; quia eos in aure cordis curarum secularium surdi tumultus premunt." 21. „*Quum ab auctore relinquimur,* nec ipsa ullatenus destitutionis nostrae damna sentimus. Quo enim longe nos conditor deserit, eo mens nostra insensibilius obdurescit, nulla quae Dei sunt diligit, nequaquam superna concupiscit; et quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorsum jacet, ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto pejor: quumque unde sit lapsa non meminit, et supplicia secutura non metuit, quantum lugenda sit nescit. Ac si afflatu sancti Spiritus tangitur, ad considerationem protinus suae perditionis evigilat, in caelestium inquisitione se excutit, amoris summi aestibus inardescit, quae se circumprimunt damna considerat, et plorat proficiens, quae prius laeta peribat." IX. 88. „Corpus omne diaboli, id est multitudo reproborum, quum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiversationibus se excusare conatur, et quasi quasdam defensionis squamas objicit, ne transfigi sagittâ veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit, quam deflere, quasi squamis tegitur, *dum a sanctis praedicatoribus gladio*

verbi jaculatur. „Squamas habet, et idcirco ad ejus praecordia transeundi viam verbi sagitta non habet. Duritia enim carnali repellitur, ne spiritalis ei gladius infigatur.“ XXXIII. 31. „A reproborum cordibus eum (satanam) sancti praedicatoris sagitta non excutit; quia quisquis ab illo apprehenditur, *verba jam praedicantium audire contemnit.* Unde bene peccatis praecedentibus irascens, de his quos in manu antiqui hostis deserit, Dominus per Prophetam (Jer. 8, 17) dicit: Immittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio. Ac si diceret: Justo judicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui a vobis excuti exhortatione praedicantium, quasi incantantium sermone, non valeant.“ XXXIV. 21. „Sancti Spiritus gratia sic recipitur, ut *in ea electi usque in finem perseverare doceantur.* — Reprobis in exortu fidei per Spiritum sanctum peccata dimittuntur, sed Spiritus sancti gratiam postmodum per iniquitatem perdunt. — Electos sanctae ecclesiae ab ejusdem ecclesiae primordiis Spiritus sancti gratia replere coepit, *quos usque ad mundi finem custodire non desinit.*“ Lib. VI. in primum Regum cap. 3. §. 21. „(Electi) omnes malignorum spirituum suasiones, amplissima sibi infusae gratiae largitate reprobant. — Mentis ratio per infusam sibi gratiam in contemplationem summae veritatis attollitur.“ Lib. II. in primum Reg. cap. 1. §. 4. „Electorum mos est, ut quum divinae praedicationis hortamenta suscipiunt, ad studium auditae bonae operationis accendantur. Reprobi et frequenter verba Dei audiunt, et eisdem tamen verbis nulla bona opera proponunt. Pigri in suis actionibus remanent, quia a divina luce projecti, omnipotentis Dei gloriam, cujus verba audiunt, interna contemplatione non vident.“ Lib. III. in prim. Reg. cap. 5. §. 10. „Electi viri, qui superna diligunt, quoties haec audiunt, ad haec ferventius incalescunt; reprobi superna loquuntur, et audiunt, quae in nulla dulcedine, ad mentis suae refectionem suscipiunt.“ Lib. IV. in prim. Reg. cap. 4. §. 27. Conf. lib. III. in prim. Reg. cap. 3. §. 10.

Liberum arbitrium ratione quadam electis a Gregorio tribuitur, reprobis denegatur. Liberum arbitrium, more Augustino familiari, hic

pro statu sumi, in quo a peccati dominatione liberi sumus, est in promptu.

„*Liberum arbitrium in bono formatur electis,* quum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur.“ Mor. XXXIII. 39. „Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Unde et de proditore dicitur (Joan. 13, 2.): Quum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes. Si enim Judas cor suum, et non diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quam diabolus malum poneret. Quo contra electus vir loquitur (Jobi 13, 14.), dicens: Animam meam porto in manibus meis. Quid enim aliud manus electi est, quam potestas internae libertatis? Quid ergo ei est, animam in manibus portare, nisi internae libertatis gloriam in potestate retinere? Quotiescumque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. Quare et Jeremias Judaico populo graviter delinquenti improperans, ait (Jerem. 5, 21.): Audi popule stulte, et qui non habes cor. Hinc item conversus alter Propheta (Davides) Deo confitetur, dicens (2 Reg. 7, 27.): Invenit servus tuus cor suum.“ Lib. II. in prim. Reg. Cap. 1. §. 2.

Electos ipsos, secundum naturam per Adami peccatum vitiatam, non ab omnibus peccatis per hanc vitam liberos esse, a Gregorio multis locis affirmatur. Sed peccata commissa lacrimis et bonis operibus diluunt.

„Quia exigente causa David ad medium deducto, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortasse animus movetur, cur eos omnipotens Deus, quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque spiritalium culmen assumsit, illaesos a corporalibus“ (i. e. carnalibus) „vitiis non custodit. — Nonnulli per *accepta dona virtutum*, per impensam gratiam bonorum operum, in superbiae vitium cadunt, sed tamen quo ceciderint, non cognoscunt. Proinde contra eos hostis antiquus, quia jam interius dominatur, etiam exterius saevire permittitur: ut qui in cogitatione electi sunt, *per carnis luxuriam prosternantur.* — Fit plerumque, ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpae latentis erubescant; et tunc etiam majora corrigunt, quum prostrati in minimis gravius confunduntur. Reos enim se inter minora

conspiciunt, qui se liberos inter graviora crediderunt. — Qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit.“ Mor. XXXIII. 25. „Idcirco omnipotens Deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut aliis in culpa jacentibus, si toto ad eum corde consurgant, spem veniae reddat, et eis *per lamenta poenitentiae* viam pietatis aperiat.“ In Evangg. hom. XX. §. 15. „Quum fortasse infirmantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerumque divini muneris manu retinentur, quod voluntatis miserae nullos effectus inveniunt. Quumque eorum votis valida contrarietas nascitur, plerumque ex ipsa impossibilitate corriguntur, et miro internae dispositionis ordine, per conversionem mutatio malae voluntatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur.“ Mor. XXXIV. 2. „Habent hoc electi proprium, ut si quando eis in sua scientia furtiva vanae gloriae culpa subrepit, ad cor velociter redeant, et *quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrimis insequantur. Qui flentes* non solum caute inspiciunt mala quae commiserunt, sed ex accepto munere quae reddere etiam bona debuerunt; quia nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis, quae agere poterant, debitores tenentur. — Sed nunquam Deus mentem deserit, quae in peccatis se veraciter agnoscit. — Redemtor noster pie nos respiciens, cor peccantis humiliat, et ei quam amiserat intelligentiam reformat; — cor affligit, et scientiam reparat.“ XXII. 9. „In amaritudine animae sunt omnes electi, *quia vel punire flendo non desinunt quae deliquerunt*, vel gravi se moerore afficiunt, quia longe huc a facie conditoris projecti, adhuc in aeternae patriae gaudiis non sunt.“ V. 3. „*Electi quamdiu in hac vita sunt, sine quantulocumque culpae contagio esse non possunt.* Sed quum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonae actionis suppetit quae illos in superna sustollit.“ XXXI. 12. „Electi quamvis virtutibus se erigant, semper tamen peccatores se esse agnoscunt.“ Super cant. cant, expos. cap. 5. §. 16. „Solent electi viri, ad ea quorum sibi sunt conscii peccata, mentis intuitum reducere, et modis eorum cauta singulatim consideratione perspectis, *singula quaeque deflere;* ut hoc modo cordis

sui praeparent habitaculum, dum per unumquodque erroris sui deplorant excessum. Hinc Jeremias (Thren. 3, 48.) ait: Divisiones aquarum deduxit oculus meus. Divisas quippe aquas ex oculis deducere, est dispertitas lacrimas unicuique peccato tribuere, et iniquitatis gaudia *satisfactionis* doloribus compensare; quatenus dum nunc hujus, nunc illius delicti memoria mens acrius tangitur, simul de omnibus singulis commota purgetur." Expos. in quintum Psalm. poenit. §. 3. „Permittit quidem Deus electos suos magnis tentationibus impeti, ut magnificentissime in caelesti regno debeant coronari: sed magna proelia permittit, quae vincant; levia excitat, in quibus cadant: ut victoria fortium magna sit, casus innoxius: ut cadentes se facile erigant, ut eos fortia, in quibus victores steterant, non extollant. — *Innumerabilia sunt, quae cogitando, loquendo, videndo, gustando, et audiendo, et operando committimus.* Hujus namque vulgi innumerabilis tela etiam ille vitare non poterat, qui dicebat (Jac. 3, 2.): In multis offendimus omnes. Hinc item dilectus Jesu loquitur, dicens (1 Joan. 1, 8.): Si dixerimns, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Quis ergo jam quasi victor extolli audeat, si tanti viri peccatorum tela se omnino evadere non posse manifestant?" Lib. V. in prim. Reg. cap. 3. §. 9. „Sciendum est, quia peccata sua saepe et reprobi confitendo aperiunt; sed quia novae vitae habitum immutare despiciunt, ea ipsa quae confitentur, flere obstinate contemnunt. Electi vero culpas suas non solum voce confessionis denuntiant, *sed etiam districtae animadversionis eas fletibus abolere procurant. Ad poenitentiae namque se lamenta incitantes, occulta se increpatione dilaniant,* et futuri judicii timore percussi, si qua in eis adhuc male gesta lateant, diligenter investigant. Saepe enim quod torpentes latuit, flentibus innotescit. Et qui reatum suum secum nesciunt, hunc in se contra se erecti deprehendunt." Exp. in tert. Psalm. poenit. §. 21. Conf. expos. in quart. Psalm. poenit. §. 21. Conf. exp. in quart. Psalm. poenit. §. 21.

Electorum vita non vacua est afflictionum temporalium, id quod et Dei justitiae et electorum utilitati congruum est. Ab altera parte reproborum vita

non caret quibuscunque bonis, quamvis non omnis temporalis percussio cesset. Id quod et misericordiae et justitiae Dei documentum est.

„*Nec electis suis pietatem sine justitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit;* nec rursum reprobis justitiam *sine misericordia* exercet, quia hîc aequanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo et electi praevenientem se gratiam sequuntur, et reprobi juxta quod merentur accipiunt; et *de misericordia inveniunt electi quod laudent,* et de justitia non habent reprobi quod accusent.“ Mor. XXXIII. 39. „*Ab electis suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere*, quas in eis in perpetuum non vult videre.“ IX. 28. „Negantur electis in hac vita bona terrena: quia et aegris, quibus spes vivendi est, nequaquam a medico cuncta quae appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quae in hac vita appetunt: quia et desperatis aegris omne quod desiderant non negatur.“ XXI. 8. „Quum largientem Deum humana mens boni operis responsione non sequitur, unde nutrita pie creditur, inde justius damnatur. Hinc enim per Psalmistam (Psalm. 73, 18) rursum dicitur: Dejecisti eos, dum allevarentur. Quia videlicet reprobi quum recta opera divinis muneribus non rependunt, quum totos se hîc deserunt, et affluentibus prosperitatibus dimittunt, unde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc est quod in inferno cruciato diviti dicitur (Luc. 16, 25.): Recepisti bona in vita tua. Idcirco enim bona hîc recepit et malus, ut illic plenius mala reciperet, quia hîc fuerat nec per bona conversus.“ Reg. pastor. Tertia pars. cap. 26. „Quum omnipotens Deus ad hoc virtutes singulis dividat, ut alterum alteri in cogitatione humiliet; ad hoc reprobi pertrahunt bonum quod acceperunt, ut ex eo in elatione perdantur, dum semper considerant *bona* quae ipsi habent, et alii non habent: et numquam perpendere student, quanta bona alii habeant, et ipsi non habeant. Quod ergo divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobae in augmentum vertunt elationis: et ex diversitate munerum a bono deficiunt, unde crescere in humilitatis bono debuerunt.“ In Ezech. lib. I. hom. X. §. 35. „Etsi Deus quaedam longanimitate tolerat, quaedam tamen etiam in hac vita flagellat, et hîc nonnumquam ferire inchoat,

quod aeterna damnatione consummat. Ergo et nonnulla percutit, et nonnulla inulta derelinquit: quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus, si hîc cuncta percuteret, extremum judicium unde restaret?" Mor. XXVI. 38.

Reproborum vita electis utilitatem magnam affert. Id quod a Gregorio identidem exponitur.

„Pravorum vitam Dominus tolerat, quia eos ad justorum suorum probationem servat. Ut quum adversarius noster diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quasi suis contra nos armis utatur. Per ipsos quippe nos saeviens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsi flagella fiunt, de quorum tali vita dum percutimur, ab aeterna morte liberamur. Unde agitur ut electorum vitae proficiat etiam perdita vita reproborum, et utilitati nostrae dum illorum perditio militat, mira dispensatione fiat, *quatenus electis Dei non pereat etiam omne quod perit.*" Mor. XXIX. 37. „Saepe omnipotens Deus occulta quorundam mala tolerat, ut aperta eorum bona electorum suorum usibus profutura dispenset. Nam nonnulli mundum nequaquam funditus deserentes, non perseveraturi angustum iter arripiunt, sed ad quaerendam angustam viam exemplo suo eos qui perseveraturi sunt, accendunt. Unde plerumque contingit, ut *ipsum hoc quod bene videntur vivere, non sibi, sed solis potius electis vivant, dum exemplis suis ad bene vivendi studia perseveraturos alios non perseveraturi provocant.* Idcirco virtutis iter non perventuri inchoant, ut eis qui perventuri sunt, quâ gradiantur, ostendant. Quorum etiam casus, utilitate non modica, electorum profectibus servit, quia illorum lapsum dum conspiciunt, de suo statu contremiscunt; et ruina, quae illos damnat, istos humiliat. Discunt enim in superni adjutorii protectione confidere, dum plerosque conspiciunt de suis viribus cecidisse. Quando ergo bene agere videntur reprobi, quasi planum iter electis sequentibus monstrant; quando vero in lapsum nequitiae corruunt, electis post se pergentibus quasi cavendam superbiae foveam ostendunt. Scit omnipotens Deus ad electorum suorum solatium bene uti malo reproborum, quando hi qui ad illum

perventuri sunt, et suis ad eum meritis proficiunt, et saepe in eo quod sapiunt, alienis lapsibus corriguntur.“ XXXIV. 30.

5. Utrum electi an non electi simus, id quidem in universum nos latet, sed tamen signa sunt quaedam vel electionis vel reprobationis. Quod electio in universum latet, id electis utilitatem affert. Hac enim ratione spes humilium nutritur, et elatio superborum deprimitur.

„Ad Job dicitur: Indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? An idcirco requiritur, ut quod nosse, sed tamen praetermittere poterat, memoretur, quatenus pondus secretorum Dei sollicitus penset: dispositionem videlicet hominis non in humanis viribus, sed in manu consistere conditoris: ut dum considerat invisibiliter ista quis agat, suae virtuti nihil tribuat; nec jam de se audeat aliquid, quum Dei judicia occulta formidat: sed perpendens desuper mensuras et lineas incomprehensibiliter tensas, tanto magis in humilitate formidinis consistat, quanto pendere videt omnia in potestate mensoris.“ Mor. XXVIII. 16. „Hac sententia, qua narratur aliorum erigi, aliorum autem vita confringi, et spes nutritur humilium, et elatio premitur superborum, dum et illi bona possunt amittere, de quibus superbiunt, et isti ea percipere, quae quia non habebant, contemnuntur.“ XXV. 21. „Ad probandam electorum patientiam, nec unus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur; ut de consecuta eorum victoria tanto sit copiosior fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint proelia graviora. — Hinc spiritus mentem elevat, illinc caro gravat; ac *dum finis sui modum scire non possunt, de electionis suae incertitudine vehementer expavescunt.*“ Lib. III. in primum Regum cap. 8. §. 18. Conferantur quae de timore justorum in appropinquatione mortis propter incertitudinem sortis, quae eis instat, disputantur Mor. XXIV. 32.

Signa tamen quaedam electionis et reprobationis Gregorius statuebat.

„*Signum suae electionis* cognoscere electi possunt: quia nimirum tunc a Deo ad sanctae ecclesiae culmen perducuntur, quum per verba et exempla idonei sunt ad salutem alienam, et per quietem studiosi ad

suam: et quum peccatores ad caelum quaerunt, semetipsos ad seculum non relinquunt." Lib. IV. in primum Regum cap. 5. §. 5. „*Manifestum perditionis indicium est*, quando affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus; et nulla contrarietas impedit, quod mens perversa conceperit. Nam saepe pravorum hominum dum tardantur vota, mutantur: et dum difficultatem perfectionis sentiunt, reatum malae actionis agnoscunt: et quibus prius invitis contradicitur, volentes postmodum hoc quod conceperant, adversantur." Mor. XXVI. 33.

§. 28.

Summa doctrinae Gregorii de praedestinatione.

Ex his disputatis Gregorii doctrina de praedestinatione ad hanc summam redit.

1. Ex genere humano peccato originali ejusque reatui obnoxio Deus ab aeterno numerum certum et definitum elegit, qui gratiae divinae et salutis aeternae particeps evaderet. Qui ad hunc numerum non pertinent, propter eorum vitiositatem gratiae divinae et salutis aeternae participes non evadunt.

2. Praedestinatio Dei praescientiâ nititur. Deus ab aeterno eos elegit, quos gratiam suam accepturos esse praevidit. De singulis autem electis *nobis* in universum nihil certi definire licet, quamvis quaedam signa electionis et reprobationis iis ipsis non desint.

3. Electi ecclesiae christianae socii sunt, praedicationi et gratiae divinae obsequium praestant, et perseverantia eis conceditur. Quamvis ab omnibus vitiis non immunes sint, peccata tamen commissa poenitentiâ et bonis operibus diluunt.

In eo igitur Gregorius cum Augustino consentiebat, ut praedestinationem non ad reprobationem, sed ad electionem referret. Reprobationis causa non in Dei voluntate, sed in hominis vitiositate sita est. In eo autem Gregorius ab Augustino multis stadiis discedebat, ut, pro ratione doctrinae suae de statu hominis hodierno, praedestinationem a praescientia Dei repeteret. Deus ab aeterno constituit, eos salutis aeternae participes esse debere,

quos gratiam suam accepturos esse praevidit. Hac ratione et misericordiae et justitiae divinae partes suas tribuisse putabat. Omnes homines salutem aeternam consecuturi fuissent, si gratiam ultro oblatam accipere voluissent.

§. 29.

VI. *De redemtionis ambitu.*

Denique restat, ut quae de redemtionis ambitu Gregorius noster disputavit legentium oculis subjiciamus.

In hac doctrina exponenda Gregorius non tam copiose versatur, quam in doctrina de peccato originali, de gratia et de praedestinatione. Non desunt tamen aliquot loca, quibus in transitu affirmat, Christum pro electis in mundum venisse et humanam naturam assumsisse.

„Dominus inter persecutorum manus corpus passioni obtulit, *quod pro electis assumserat.*" Mor. XXII. 41. „Ut ab *electorum suorum* cordibus vetusti erroris caliginem pelleret, tot promissorum miraculorum splendoribus radiavit. Sed adscendit, ut adoraret, et immolaret, quia ad hoc cognosci voluit, ut moriendo redimeret, quos vivendo docuisset. Adoravit quippe, quia in exemplum *electorum* se Deo Patri totum humilem, et abjectum per obedientiam praebuit. Immolavit autem, quia qui nobis exempla humilitatis vivendo dedit, se Deo Patri in ara crucis oblationem, et hostiam tradidit, et quos vivendo docuit, moriendo redemit." Lib. I. in primum Regum cap. I. §. 9. Hic non solum muneris sacerdotalis, sed etiam muneris prophetici, quod Christus susceperat, mentio fit; et utrumque ad electos refertur.

Quamvis autem Gregorius his locis redemtionem ad electos referret, nullo tamen modo vim et naturam redemtionis his arctis limitibus circumscribere volebat. Id quod ceteris Gregorii placitis repugnaret. Redemtionis quidem *effectus* ad electos solummodo pertinet, *vis* ejus ad omnes spectat. Hac igitur ratione Gregorius Universalistis adnumerandus est.

„Christus est summus Pontifex noster, qui in ara crucis *pro totius mundi sanitate*, sui corporis hostiam obtulit.“ Expos. Psalmi quarti poen. §. 4. Ibidem quidem asseritur: „A peccatis suis in sanguine tuo *electos tuos* lavasti.“ §. 2., sed statim adjicitur: „Lavet sanguis iste peccatorum meorum maculas, qui *totius mundi potest delere offensas.*“ In eandem sententiam haec dicta sunt: „Idcirco post Christum totus mundus vadit, quia verum se Dei filium probavit, dum moriendo *humanum genus* redimeret.“ Lib. primus in prim. Reg. cap. 3. §. 13. „Non omnia nostra Christus explevit, *per crucem quidem suam omnes redemit*, sed remansit, ut qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat (2 Tim. 2, 12): Si compatimur, et conregnabimus. Quasi dicat: Quod explevit Christus, non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet.“ Lib. IV. in prim. Reg. cap. 4. §. 57. Assertio haec, Christum non omnia nostra explevisse, a doctrina quidem ecclesiae nostrae, qua Christus non solum obedientiam passivam, sed etiam activam praestitit, mirum quantum recedit, sed de hac re disputatio ad argumentum, quod nobis proposuimus, non pertinet.

§. 30.

Placitorum anthropologicorum Gregorii summa.

His ita disputatis, omnium Gregorii placitorum, quae pertractavimus, ambitum, sub unum conspectum ponere licebit. Atque his quidem secundum ea, quae ipsis scriptis Gregorii ducibus exposuimus, omnis Gregorii doctrina anthropologica contineri videtur.

1. Homo in statu primitivo pluribus bonis, quae lapsa perdidit, nimirum immortalitate corporis, vacuitate omnium molestiarum vel animi vel corporis, pura Dei cognitione, libero arbitrio pleno et perfecto sine ullo carnis cum spiritu certamine gaudebat. Caro tamen naturâ suâ infirmior erat spiritu. Imago et similitudo Dei primo homini concreata *moralibus* animi dotibus cernebatur.

2. Diaboli, qui serpentis speciem induerat, inductu et persuasu Adamus et Eva ceciderunt. Primorum hominum peccatum cum angelo-

rum peccato non est comparandum, quum angeli modo spiritu, homines *carne et* spiritu constent.

3. Primorum hominum lapsus non solum iis ipsis, sed etiam universo generi humano, quod in Adamo praevaricante praevaricavit, multum damni attulit. Malis quae in universum genus humanum ut poenae primae praevaricationis redundarunt, non solum immortalitatis corporis amissio et variae vitae molestiae e. g. valetudo adversa, fames, sitis, frigus, aestus, adnumeranda sunt, sed etiam mentis caligo, purae Dei cognitionis amissio, laetitiae spiritalis exstinctio, rerum mutabilium amor, in addiscendis literis molestia et quae sunt similia. Gravissimum autem malum, quod ex peccato Adami et in ipsum et in posteros ejus redundavit, est peccatum originale, quo natura humana corrupta est.

4. Peccatum originale non est omnis libertatis moralis defectus, sed infirmitas magna, qua necessitas quaedam peccandi homini imposita est, et certamen quoddam carnis cum spiritu subsistit. Corruptio originalis, cujus sedes et in animo et in corpore est, generatione propagatur, ejusque reatu aeternae damnationi obnoxii sumus. Baptisma inde a Christi temporibus ab hoc *reatu* quidem eodem modo liberavit, quo veteris testamenti temporibus circumcisio, *actu* tamen in baptizatis ipsis originale peccatum remanet.

5. Liberum igitur hominis arbitrium eo sensu, quo facultas bene agendi vocatur, per corruptionem originalem non prorsus quidem exstinctum, sed tamen ita debilitatum est, ut nemo ab omni peccato immunis esse possit.

6. Gratia Dei homini in statu hodierno aegrotanti ut medicina adhibenda est. Hominem praevenit variis modis, eamque subsequitur, atque adeo et ut homo velit, et ut perficiat bonum, necessaria est. Interior ejus natura explicari quidem non potest, id tamen de ea definire licet, eam et ad intellectum et ad voluntatem hominis vim habere, quamvis liberum hominis arbitrium eâ non exstinguatur. Huic eae partes supersunt, ut gratiam ultro oblatam et accipere et recusare possit. Gratia igitur non est irresistibilis.

7. Praedestinatio Dei ad electos pertinet, non ad reprobos. Deus ab aeterno certum et definitum numerum elegit, qui gratiae atque adeo salutis aeternae particeps evaderet. Qui ad hunc numerum non pertinent, gratiae divinae et salutis aeternae participes non evadunt, et eorum vitiositatis poenas merito dant. In praedestinatione Deus hanc rationem secutus est, ut eos eligeret, quos gratiam suam accepturos esse praevideret. De singulis electis in universum nihil certi constitui potest.

8. Redemtio Christi, si *vim* et *naturam* ejus spectamus, ad omnes omnino homines, si *effectum*, ad electos modo pertinet.

§. 31.

Si hanc doctrinam Gregorii a nobis expositam cum Augustinianâ comparamus, alia in ea deprehendi, quae cum Augustini sentiendi ratione apprime conspirant, alia autem, quae ab ea maxime recedunt, in disputatione nostra jam ostendimus. Coronidis tamen loco de consensu et dissensu, qui inter Augustini et Gregorii doctrinam anthropologicam intercedit, quaedam subjungamus.

1. Utraque doctrina in eo conspirat, ut primitivum hominis statum iisdem fere coloribus depingat. Gregorius in descriptione primitivi status Adami Augustini vestigia sollicitâ mente pressit. Infirmitatem tamen carnis in ipso statu primitivo disertius exposuit Gregorius quam Augustinus, et de immortalitate corporis primi hominis paullo diversam notionem sibi formasse videtur.

2. Quae de lapsu Adami Gregorius affert, ab Augustini doctrina non multum recedunt. Infirmitas tamen carnis, quam Gregorius primo homini tribuit, eum impedivit, quo minus Adami apostasiam tam ineffabilem depingeret, quam Augustinus.

3. In malorum descriptione, quae ex peccato Adami in omne genus humanum redundarunt, Gregorius saepe cum Augustino consentit, eaque mala iisdem fere verbis, quibus Augustinus, depingit. Sed in peccati originalis descriptione quaedam insunt, quae Semipelagianorum sentiendi rationem in memoriam revocant. In hoc ab Augustino dissensu

omnis diversitatis doctrinae Gregorii ab Augustinianâ fons et origo cernitur. Secundum Augustinum homo sensu morali est mortuus, nec boni quicquam velle et facere propriis viribus potest. Peccatum originale ei est absolutus defectus omnis facultatis bene volendi et faciendi. Secundum Gregorium homo est aegrotus, et ei ad recuperandam valetudinem gratiae divinae medicina est opus. Peccatum originale ei est infirmitas, qua quaedam peccandi necessitas in statu naturali ei imponitur, et certamen carnis cum spiritu subsistit.

4. Pro Gregorii in doctrina de peccati originalis vi et natura ab Augustino dissensu, liberum arbitrium de ejus sententia non plane est exstinctum, sed modo debilitatum, ita ut gratiam oblatam accipere et recusare possit. Libero igitur arbitrio aliquid tribuendum est, id quod cum Semipelagianorum doctrina concordat.

5. In eo quod gratiam et praevenientem et subsequentem, quae et ad intellectum et ad voluntatem vim habeat, Gregorius statuit, cum Augustino quidem consensit, in eo autem quod hominem gratiae divinae resistere posse statuit, ab Augustini de gratia doctrina dissensit, ejusque vi aliquid detraxit. Hac igitur ratione etiam cum Semipelagianis fecit Gregorius.

6. In doctrina de praedestinatione in eo cum Augustino conspiravit Gregorius, ut eam modo ad electos referret. Secundum Augustinum praedestinatio Dei in eo cernitur, ut ab aeterno certus numerus electus sit, qui gratiae divinae et salutis aeternae particeps fieret, reprobi autem non propterea damnantur, quod Deus eos damnationi praedestinaverat, sed quia in Adamo peccaverant. Haec quoqne Gregorii est doctrina. In electis gratia, in reprobis justitia Dei declaratur. Sed in eo Gregorius ab Augustino discessit, quod *absolutum* decretum negavit, et praedestinationem ad praescientiam revocavit. Haec erat Semipelaganiorum sententia.

7. In eo quod ad redemtionis ambitum spectat, Gregorius item ab Augustino discessit. Secundum Augustinum Christus solummodo pro electis mortuus est, secundum Gregorium *effectus* quidem redemtionis

modo ad electos pertinet, sed redemtio ita erat comparata, ut ejus vis in omnes homines redundare potuisset, si gratiae obsequi voluissent.

§. 32.

Ex his disputatis efficitur, Gregorium in doctrina de peccato originali, libero arbitrio exstincto, gratia irresistibili, praedestinatione absoluta et redemtionis ambitu ab Augustiniana doctrina discessisse et Semipelagianorum doctrinam amplexum esse, atque adeo *Semipelagianis* merito adnumerandum esse.

LRBMy'28

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: March 2005

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 013 374 260 8